



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Evsebii Nierembergii Madritensis Ex Societate
Iesv De Adoratione In Spiritu Et Veritate Libri Qvatvor**

Nieremberg, Juan Eusebio

Antverpiæ, 1631

Lib. I. Continentur quæ spectant ad expiationem animæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46187](#)

I
IOANNIS EVSEBII NIEREMBERGII

EX SOCIETATE IESV

D E

ADORATIONE

IN SPIRITU

E T

VERITATE

LIBER PRIMVS.

C A P V T I.

Mendacium sacerularis Vitæ.

MORES hominum , mendacium
sine honore . Nolite zelare
mortem in errore vitæ : Spi-
ritus enim sanctus disciplinæ ef-
fugiet fictum . Mendacia per-
niciosiora sunt , quatenus salubrioris atque
pretiosioris rei . Mortales nihil pretiosius
quam vitam habent : quomodo sustinere
possunt mendacium vitæ ? quomodo tolerare
falsitatem spiritus & obsequij diuini ,
quod infinites oportet pluris haberí quam

A vita

vita ipsa ? Mendacium vitæ , est omnium malorum perniciosissimum. Nimis periculosum est & extimescendum,in hac re pretiosissimâ seduci. Oculos non patiuntur homines falli : quomodo benigni sibi sunt, si decipiatur mens ? In lapidibus non sustinent frustrari : quomodo in seipsis ferunt illudi ? Quàm solliciti & industrij sunt, ne pupillæ eorum adulterinus color lapilli imponat loco veri ? non emunt gemmam , nisi adiurato & cautionem præstanti venditore , quòd ille lapis verus sit. Hæc amentia hominum ; quòd gaudeant pretio vitæ suæ falso , non lapidis: qui nolint seductos habere oculos , & ament seductam habere mentem , spiritum, vitam, & cælum denique.

Graue ducimus ab alio decipi , etiam in rebus exiguis : & à nobis , in ipso nostri pretio, libentissimè volumus seduci. Audire, vel dicere mendacium nolumus : & tamen volumus ipsum mendacium esse , & viuere. O Miseri ! quia & decepti , & deceptores nobis sumus : & patienter sustinemus geminum hoc malum , quod maximè fugiunt homines ; & duplicem toleramus infamiam in re tantâ , cùm in leuissimis neutrū sustinemus. Si nefas iudicas decipere amicum tuum, & summam iniuriam putas, decipi ab amico: quod ius & fas erit , vt te decipias , & à temet decipiaris,

decipiaris , qui fidelior & charior debes esse tibi ? At priuilegio quodam patientiae honoramus damna nostra aduersus nos , quæ sunt omnium maiora , & duplicitia ; atque quadam non modò immunitate , sed gratulatione instigamus & armamus magis , ad perniciem nostram . Si aliquis falleret auarum in bonis fortunæ fugitiuis , ægrè ferret ; si arcas & loculos pro pecuniâ oppleret illi cœno & sordibus , summam iniuriam putaret : cur falli à nobis in bonis virtutis & gratiæ , non tantùm sustinemus , sed affectamus ; nec dolemus vitam contaminatam vitiis & defectibus habere , vel fictam virtutem , adulterinam charitatem , superficialem mortificationem , & spuriam humilitatem ?

Huius damni præcipua causa est , quod latentem amorem nostrum non persequimur , nec interimimus hunc hostem vernaculum . Non licet tanti facere , & seruare vitam inimici , ut vitam nostram periclitemur , audiendo consilia hostis huius incolumis . Appetitus nostros auscultamus ut oracula , cum semper mendacia nobis suggerant . Qui audit adulatores studentes placere hominibus , plurima falsa opus est credere : sic qui audit blandientem sibi suum amorem , passim decipietur .

Dic mihi , ô anima , si in Senatu sapientis-

A 2 simo-

simorum & optimorum hominum omnes
vnanimè suffragio iudicarent causam ali-
quam , & solùm reus iam culpam confessus
ipse , & conuictus ab aliis , qui idiota & rusti-
cus , & sceleratissimus erat , repugnaret senti-
entiæ totius Senatus , velut iniustæ ; an tu
huic magis fidem adhiberes , quām illis viris
sapientissimis & iustis ? Cur igitur nugas & vo-
ces sequeris amoris tui , & cupiditatis non mo-
dò rusticæ , sed bestialis ? cur huius vnius di-
ctamen opponere audes Deo , Angelis , Do-
ctoribus Ecclesiæ , Philosophis antiquis , Ra-
tioni ipsi , imò tuimet conscientiæ , condem-
nantibus ea quæ bona iudicat affectio pro-
pria , & iudicium ipsum amoris priuati & cu-
piditatis ? Crede falsum , quod Deus non iu-
dicat verum , quod Angeli condemnant ,
quod Doctores refellunt , quod Philosophi
refutant , quod Ratio damnat , cui conscién-
tia tua dissentit . Omnes peragunt reum
mendacij amorem tui versutum , & technis
innumeris armatum . Pleni omnes sumus fal-
aciis , quia referti amore proprio ; eò perni-
ciosius , quatenus impostor non modo do-
mesticus est , sed concatenatus & radicitus
consitus nobiscum , vt numquam discedat ,
sed semper adsit absque induciis erroris . Hinc
inueteratum est damnum ipso visu , & velut
præscriptione mentiendi , vt quod vitium est ,
non

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 5
non modò defendant homines prudenter
factum , sed iuxta Euangelium ; & quod est
contra rationem , ex doctrinâ Christi inter-
dum sanctificant. Sufficeret miseriæ huma-
næ ignorantia , quâ laborat , quin opus esset
superaddi deceptionem . Miseria ignorâtum
leuis & facilis est , vt quæ decedat disciplinæ ,
simul ac docentur ; at eorum qui decepti
sunt , dura & pertinax , vt quæ resistat doctri-
næ . O , vtinam solùm ignorantes essemus , &
non seducti !

Hæc stultitia & impostura hominum in
mundo ferè in omnes grassatur . Quantum-
uis sapientissimos se putent , & sint primarij
Doctores & Professores Vniuersitatum ; in-
sipientes sunt , & seducti , nisi probi , & sancti .
Elige quemcumque sapientem , quem tibi
omnes prædicarunt ut summum scientiarum
oraculum : si hunc semel videres lutum &
stercora seruare in pretiosissimis & mundissi-
mis thecis , & inde eiecisse vasa aurea , &
abieciisse gemmas & vñiones ; an posses persua-
deri , illum hominem esse sapientem , cùm il-
las fordes æstimaret , & depretiaret has diui-
tias ? Quomodo igitur sapiens erit , qui non
semel , sed perpetuò cor suū implet ambitio-
ne honorum , desideriis diuitiarū aut volunta-
tum ? contemnit verò amorem Dei , diuitias
gratiæ , merita Christi , Deum ipsum ? quæ

A . 3 multò

multò plus distant ab honoribus, diuitiis & voluptatibus mundi, quām aurum à fæce & cœno, prout scilicet distat Deus à creaturā. Quid refert, si dicas, non nasci hoc ex ignorantia, sed satis fuisse cognitum illi homini discrimen temporalium ab spiritualibus, & neminem hoc ignorare quamuis operetur diuersè? nam nec excusabitur ab amentia, qui diceret, se optimè iudicare valorem auri super omnia, & à se lutum æstimari ut vilissimum, si nihilominus custodiret lutum, ambiret, amplexaretur, oscularetur illud, & etiam cum periculo vitæ & immensis laboribus quæreret; aurum verò etiam oblatum abiiceret, nec conspicere vellet. Plus sanè miraberis hanc dementiam arcanam, & has tenebras visibiles; neque planè sapientem aut sanum hominem istum dicere auderes, ne risui esses omnibus. Quantò insanior erit, & magis ridiculus, qui dicens maiora esse bona spiritus & gratiæ, quām mundana, quærerit hæc, & contemnit illa? An doctus homo, aut integer mente, aut fidelis potuit esse, qui ex aureo sacrario, deputato ut afferuetur ibi Eucharistia, abiecisset Corpus Christi, vt loco illius deponeret lutum? Quomodo sapiens est, qui ab animo, diuino sacrario, expellit ipsam diuinitatem complacentem ibi, & substituit eius loco non stercora, sed fœdiora vitia,

&

& concupiscentias sordidiores? Igitur nulla sapientia, nulla veritas in mundanâ vitâ. Terribilia arma, quibus pugnabit Christus aduersus insensatos in tremendo die iudicij; non erunt, conuulsio elementorum, casus stellarum, obtenebratio Solis, incendium mundi, vox Archangeli terribilis, horrisona tuba illa Dei, vultus seueri Iudicis; sed veritas: hoc solùm, quòd tunc videbitur manifesta, quam nunc inuoluimus nostris cupiditatibus, & contemnimus.

In spirituali autem vitâ licet sit veritas, miscentur quandoque mendacia, ob subtilitatem & adulationem intimi amoris nostri, (adulatio enim vbiuis corruptit & fascinat veritatem) & artificium & odium dæmonis, qui vbiique veritatem creatam euertere conatur, cùm increatam non possit. Idcirco commendatur à Christo Domino, vt decus Euangelicæ perfectionis, adorare Deum in Spiritu & veritate. Deus verus non debet coli falsâ vitâ. Vnigenitus Dei Filius veritas est; & qui filius Dei esse vult, veritatem amet, & habeat. Quare, qui à præcipitio carnis digressi per semitam spiritus incedunt, nondum extra periculum se putare debent, nisi simul incedant veritatis viâ. Huic vt securè insistas anima mea, accipe has monitiones, quibus adores Deum, & seruias veraciter

A 4 per-

S 10. EVSEBII NIEREMBERGII
perfecto spiritu cordis , & intelligas quid lo-
quatur veritas , ne sit in spiritu tuo dolus : sed
potius veritatem facientes in charitate , cre-
scamus in Christo per omnia.

C A P V T I I .

De Veritate spiritus.

NE putes ex consortio veritatis vitam spi-
ritus tetricam & acerbam esse : nam ca-
lumnia est , veritatem amaram dici. Non est
timenda ob nomen solum ; iucundissima res ,
veritas spiritus. Ne dicas : Si veritas exteriū
audita amara habetur , quām peracerba erit
interiū percepta , & intima nobis ? Si ab aliis
dicta molestat ; quid à nobis facta , & in nobis
perfecta ? si auditui ingrata est , quid fiet con-
scientiæ , cordi , & toti vitæ ? Nam non est
mellis vitium , si amarè sapiat palato corru-
pto. Terram ipsam , cùm solide consistat ,
circum moueri iudicat , qui vertigine laborat.
Vitiis nostris credimus peccare cetera ; & hu-
manum morbum imputamus culpam diu-
nis etiam rebus. Innocens veritas est , dulcis ,
placens , nisi solū carnalibus displicens , &
iis qui displicant Deo. Idem purpuræ regius
color mulcet homines , sed tauros offendit ,
atque exacerbat : eos qui intelligunt , delectat
hæc purpura Dei veritas , hoc decus sancti-
moniæ;

DE ADOR. IN SPIRITV ET VER. LIB.I. 9
moniæ ; parum refert , si offendat eos , qui a-
nimâ & mente sunt inanes & indigni : imò
eo ipso magis digna ipsa est & commenda-
bilis.

Pulcherrimum quid atque diuinum est ve-
ritati , esse horridam malis : causam odij con-
sidera , & videbis quām sit amabilis per se.
Austera videtur hominibus veritas super om-
nia aduersa & molesta ; quia singulæ aduersi-
tates singulas oppugnant , aut aliquas volu-
ptates : at veritas omnes simul , & cuncta vi-
tia. Ideò supra omnia iudicant illam grauem;
ideò nihil magis libenter quām veritatem
stringunt aduersus inimicos ad vlciscendum
se , nec ullum damnum virulentiore corde
immittunt : quia quod malum sibi quisque
maximè formidat , id optat inimico cùm ira-
scitur ; & quoniam putet sibi fore maximum
malum veritatem , vt spicula venenata con-
torquet veritates in inimicum obiiciendo , &
admonendo illum id ipsum quod est. At
tantæ offensionis causa , amore & pretium
veritatis commendat : omni amore digna est,
quæ vitia omnia deginatur & impugnat. Si
vnica potio omnes morbos tibi curaret , mi-
nimè contemneres , quamuis te acerbaret;
imò nihil aliud maiori in pretio haberet : ita
veritas vel isto solo titulo per se est amanda
& adoranda , etiam cruci affixa , sine decore,

non

A 5 fine

sine vultu. At illa honesta est specie , & iucunda sapore; non deformis , sed Deiformis: non est insipida , sed Dei sapientia : vox veritatis dulcis , & facies sua decora. Deum pro condimento habet , non potest esse insulsa, aut fellea, aut corrupta. Quæ Deum beatum facit, non debet tibi censeri molesta; nec potest facere te miserum. Quid dicam ? Deus Veritas est ; ánne Deus erit tibi amerior felle, aut non pulchrior luce ? Age , aude respicere veritatem , aude amare , aude te committere & confidere illi. Hic præcipuus spiritualis virtæ canon est : sicut carnales nihil magis in odio habent, quām veritatē ; sic qui per viam spiritus incedunt, nihil magis in voto & pretio habeant. Quid magis gratum & necessarium sagittario, quām oculi ? ita hominem rationis compotem nihil optatius oportet habere , quām veritatem. Sagittarius & animalia, quæ vsui plurimūm sunt , erutis oculis inutilia redundunt : sic tota vita nostra absque veritate redditur infrugifera . Nullus sensus magis iucundus , quām visus : reliquas animi dotes excedit veritas ; quæ non minùs placeat fulgens , quām æstimetur pungens.

Igitur à veritatis iustâ opinione incipiamus excludere mendacia, reputantes nihil vtilius, nihil suauius , nihil præstantius , quām veritatem spiritus sinceram. Plerique quia hoc non

non satis credunt, permittunt sibi aliquam interdum indulgentiam naturæ & amoris proprij, & inclinationis carnis, quamvis in rebus leuibus, commiscentes subtilissimâ dissimulatione & fraude sui solatia aliena, ut emoliant austерitatem, quam in spiritu timent & suspicantur: & non satis fidentes illi, & Deo, adhuc reseruant aliqua pignora, carnis & voluntatis, quibus nolunt expoliari, ut illuc se recipiant facile, non ausi omnimodo repudio sui tradere se penitus Deo & spiritui nudos, quasi in penetralibus & interiori eius esset aliqua amaritudo. Hi se fallunt: nam non est hic spiritus veritatis. Res simplicissima & perspicua est spiritus: quare non erit verus & genuinus, qui ita permixtus & confusus est. Hæc duo sunt, caro & spiritus, & nequeunt in vnam rem simplicem coalescere. Adèò simplex & pura debet esse veritas spiritus, ut non satis sit cuncta carnis mendacia, omnes leges mundi, quantas cumque insinuationes amoris tui horrere & formidare; sed etiam opus est, te orbare animâ ipsâ tuâ, & quauis eius voluntate & delectatione creatâ, etiam intellectuali & licitâ, ut solum Deum quæras & habeas.

Altius quid est spiritus quàm anima, intellectus, & natura. Audi IESVM tuum dicentem: *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, Ioan. 4.*

in

in spiritu & veritate oportet adorare. Quare
 vt adores veraciter, & seruias perfectè Deo in
 spiritu vero, oportet vt transcendas te, & om-
 nem creaturam, & affectionem creatam ; &
 anheles & ames solam diuinam veritatem, &
 quasi profecturus statim de hoc mundo, om-
 nibus creaturis, & tibi ipſi valedicas : adhæ-
 rens per charitatem puram Domino vnuſ
 ſpiritus (vt dicit S. Paulus) factus cum Deo
 vno, qui veritas ipſa eſt. Reuelle te à te ipſo,
 vt cum Deo inſeraris : diuide te à te ipſo, vt
 cum Creatore tuo vniariſ : refige te à teipſo,
 vt in cruce cum IESV figariſ : extirpa te à te
 pefſimo, vt in omni bono radiceris. Fuge na-
 turam tuam ; in Deo inuenies asylum tui:
 abſque diſſimulatione te perde, & lucraberis
 te verè.

C A P V T III.

De Puritate ſpiritus.

NE in aliquo recenseas te bestiarum &
 iumentorum grege, qui cum Deo vnuſ
 ſpiritus potes eſſe, ô coheres Christi : in nullo
 congaudeas de societate pecorum. Omnes
 carnis & naturæ delectationes contemnas,
 nullatenus aliquā reſeruatā & permittā : vna
 ſola ſaporem veritatis vitiabit ; vna veritatem
 ſpiritus offuscabit. Paruis rebus ſæpè maxima
 cedunt:

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 13
cedunt : aceti guttula inficit totum vasculum
meri nobilissimi : stilla atramenti phialam
purissimæ aquæ turbat: cur vis perspicuitatem
veritatis , & nobilitatem spiritus , exiguâ &
vnicâ delectatiunculâ corrumpere ? cur à di-
uino statu te deijsis ? cur à Dei gremio & dul-
ci amplexu te abiungis, vt gustes minutus fæ-
ces rerum, cùm nec à Christi cruce descen-
dere debueras ob Regna mundi ? O auare &
pusillanimis, cùm vniōnem inestimabilis pre-
tij empturus dederis iam talenta plura ; de-
mum ne addas vnicum assēm, conuentionem
rescindis. Imò stultior es : nam mercator ni-
hil perderet, solùm non lucraretur gemmam,
redderetur enim illi sua pecunia: at tibi non
reddentur magnæ delectationes ; & quia mi-
nimam non vis relinquere, non lucraris ge-
nuinum spiritum. Cur longissimum cursum
progressus feliciter, iam in metâ ne addas vni-
cum gressum, frustraris præmio ? Non graue
& amarum putes abstinere omnibus : vt po-
tuisti maioribus carere, poteris minoribus ; vt
potuisti multis, poteris alijs ; vt potuisti pluri-
bus, poteris reliquis.

Quid est quòd aspera sustineas plura, cor-
poris macerationes , humiliationes , oppro-
bria, humicubationes, iejunia; & aliunde edu-
lij alicuius, aut alterius rei delectatione, aut
cupiditate, labefias & vincaris ? Anne si peni-
tus

tus renunties gulæ , miser eris ? Quomodo
Angeli felicissimè viuunt ieuni ? Imò dæmo-
nes non tristantur quòd abstineant : sed nec
animalia ; nam sunt aliqua quæ absque cibis
& gulâ fruuntur lœtâ naturâ , & gaudent spi-
ritu dumtaxat. Semper æstima te in superiori
classe, quàm simiarum aut luporum : ita non
sollicitaberis de earū voluptatibus. An doles
quia vt cicada non strides? Minimè. An quia
cadauera vt vultures non epularis ? Nequa-
quam: quia ea gaudia alterius sunt speciei : sic
si te hominem censes, alienas omnes volunta-
tes, quæ bestiarum sunt, contemnes. Quid si
te consideras collegam Angelorum ? quid si
adhæres Domino, vñus spiritus cum eo factus
Deus ? Quæ per æternitatem non desidera-
turus es, & eris beatus ; potes modò non cu-
pere, & non eris miser. Vt non doluisti carere
Iudicris & crepundijs puerorum , factus vir:
sic nec voluptatibus etiam hominum, factus
Angelus, & quasi Deus, dolebis. Si daretur
tibi optio, vt transires in statum angelicum,
nónne eligeres, etiam admissâ hac conditio-
ne, vt in æternum abstineres ? Ecce nunc ad
tempus hęc optio datur. Voluptates & cibos,
quos satur ventre despicias, cur non famelicus
virtutis despicies ? quas æger corpore fastidis
& horres, cur non & mente sanus ? quid im-
possibile iudicas virtuti, renuntiare voluptati-
bus,

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 15
bus, quod necessarium facit infirmitas? Quod
potuit vitium naturæ, nonne poterit robur
gratiæ te facere pertæsum delectationes om-
nes viles? Si tibi fastidio aliquando fuerunt
diuina & spiritualia, crede posse fastidio esse
carnalia. Potes viuere in hoc exilio cum peri-
culo inferni sine immensis voluptatibus cæli;
etiam poteris ad odorem paradisi sine his vi-
libus terræ. Quot hominum millia in labo-
ribus & luctu sunt, & tamen viuunt? tunc so-
lus moriturus, quia sine gustu? Vixisti ali-
quando in dolore: modò viue sine voluptate.
Totiens fuisti dolens, modò tantum esto
continens. Si pudet sapere cum vulgo homi-
num, pudeat gustare cum vulgo bestiarum.
Imò belluae abstinent magis, quæ minoribus,
simplicioribus & paucioribus voluptatibus
contentæ sunt, quam plerique hominum.
Idem cogita de reliquis voluptatibus sen-
suum & animæ, & qualibet aliâ propriæ vo-
luntatis fruitione.

Oportet repudium æternum renuntiare
omnibus rebus; & potes, & sine periculo tui,
imò sine molestiâ. Sed ut voluptate omni ca-
rere queas, care voluntate omni etiam leuissi-
mâ, licitâ & iustâ. Cauē, si propriâ voluntate
induaris, & non sis nudus, inde caro assueta
dominari velut Domina Ioseph apprehendet Gen. 39.
laciniam vestimenti tui manu suâ, hoc est,
appe-

appetitu connexo voluntati, & adulterare te coget. Lacinia sufficit ad tantum facinus: minimâ ansulâ gubernantur ingentia damna: nisi pallium penitus relinquas nudus, periclitaberis. Reijce voluntatem tuam integrum, nec te protegas damno tuo, nec periculo tuo te amicias. Elias raptus in cælum , pallium reliquit : neque tutò ad cælestem vitam aduolabis, nisi relictâ voluntate. Rescinde omnem voluptatem & voluntatem ; rescinde te à te in omnibus : cur vis, iam pluribus recisis, manere in paruo ligatus , limitatâ libertate spiritus. Non est liber canis, quòd longam catenam habeat , vt per interuallum ludat. Accidit plerisque quod passeri, quem puer ligatum filo habet : qui emissus, putat se liberum, & volat alacris usque ad spatum funiculi ; mox miserè cadit. Sic anima velut filo manet ligata , nisi cuncta resecet : putans se expeditam , post spatum certum , turpiter proruet in cœnum: quin etsi effugias à carne, & te auellas ab illicitis , & voles per cælestia; si tecum feras voluntatem, adhuc in rebus sublimibus detineberis, & impedieris. Passer creptus è potestate pueri , si secum ferat filum, in cacuminibus arborum vicinus cælo illaqueabitur , & peribit.

Sed forsitan triste putabis adhuc, omni voluntate & delectatione orbari. Quid si dicere

rem

rem non esse triste, omnes dolores & cruciatu-
tus optare? Non enim mœstum erit, omni
voluptate priuari, si iucunda sit ipsa priuatio.
Huc se diffundit vigor spiritus, hoc machina-
tur artificium gratiæ, ludens sapores rerum, ut
omnia dulcia huius mundi fastidias & hor-
reas, omnia amara concupiscas. Non mœ-
stum hoc credas: nam nomine tenus amara
erunt, si cupiantur. Natura facit, ut quod vni
insipidum, alij sit suaue: ánne hebetior erit
gratia? In muliebris passionibus est, appetere
insipida & absurda, carbones, lutum,
gypsum, atque fastidire edulia exquisitè con-
dita: quod femineæ ægritudini contigit, im-
possibiléne erit saluti diuinæ? corruptus sto-
machus appetitum gubernat, & integra mens
nihil valebit in voluntate? Ne igitur timeas,
ô pusillanimis, quæ de spirituali vitâ audis:
nam minimè molesta & grauis est, etsi neces-
se sit amplecti molesta & grauia omnia. Ne
te atterat nomen inane aut opinio: aude, ag-
gredere, terribis tu ipsas difficultates. Fertur
genus thesaurorum sub magico artificio, quos
custodiunt horribiles manes & spectra tre-
menda: at si quis audeat, solùm contemnens
illa spectacula, subito facebunt omnia & ena-
nescunt, ut numquam amplius appareant, ut
deinde securè & placidè fruatur diuitijs illis.
Non maiori labore est opus quam animo.

B For-

Fortiter aude, ut thesauris spiritualibus potia-
ris: repente spectra difficultatum disparebunt.
Virili corde inuade, fruiturus, sine æquâ mo-
lestiâ, arcanâ dulcedine vitæ spiritualis. Mella
laborant apes, sub deformi subere latentes.

C A P V T I V.

*Quomodo veritas per fidem constet. Et de
fructu & usu huius virtutis.*

IN mendacijs ambulat, non in veritate nec in spiritu, qui non ambulat in fide. Procul à sensu habitat veritas. Hæc cælestis planta non floret in terrâ ; non alitur sanguine & carne ; non nascitur inter stercore materia-
lium. Passim decipimur in bonis corpora-
libus ; & his ipsis, quæ corporis intuemur
oculis, & manibus correctamus. Remus in-
teger, in aquâ videtur fractus : turris qua-
drata, rotunda videtur dissitis : lux ipsa solis,
quæ est tota fides oculorum, sæpè fallit illos,
fingens colores qui non sunt : quomodo non
seducemur in rebus animæ & spiritualibus,
quas non videmus ; & diuinis, quæ extra
humanum sunt captum ? Totum humanum
genus mendacij tenebris caligabat, velut
in specu, sine vllâ fenestrâ aut rimulâ, per
quam leuissimus radius posset illucere : ipsi
Philosophi præclariores, solum sciri dicebant
omnia

omnia mendacia esse; aut scientiam vnicam esse, nihil scire: adeò laborabant vanitate, vt solum de cælis optarent remedium. Quidam illorum putabat magistrum veritatis dumtaxat posse esse aliquem Filium Dei: ecce iam tu Fili Altissimi, ecce tu Veritas æterna, ecce tu Sapientia Patris, è cælo descendisti, ô lux mundi, vt illuminares illum, vt nos doceres veritatem; cur homines tantum beneficium non æstiment, & fidei bonum contemnunt? Quid refert credere verum, si simus nos falsi? Salutaris veritas est bona actio; & verbum verum factum verbi. Verbum Dei caro factum est, vt opus hominis fiat veritas, quia veritas Dei opus facta est.

Mendacium & vanitas est, quod non est iuxta doctrinam IESV: cur usum huius beneficij negligimus, solum contenti mortuo modo credere? Magnum fructum Fidei haberemus, si sciremus uti, & iuxta illam operaremur ut debemus, plus quam si acie oculorum viderentur ea quæ affirmat. Omnes per fidem credunt vera: sed oportet credere verè; quod non videntur omnes facere. Si credis, ô proterua anima, quæ Christus dixit, consequenter operare. Si est verum, quod Iesum oportuerit pati ut intraret in gloriam suam: si est verum, quod Deus prouideat omnia in bonum iustorum: cur affligeris in

B 2 leui-

leuibus laboribus & calamitatibus? cur putas iacturas, quod de Fide est, esse lucra animæ maxima, dum patiens sis. Si credis id esse verum, vt verè est, potius debes gaudere, & te solari. Si oculis carnis Prophetam aliquem sanctissimum, vt Dauidem aut Ioannem Baptistam, cerneret resuscitatum, vel Angelum de cælo venientem, vt tibi ex parte Dei annuntiaret, esse voluntatem diuinam vt ferres hanc ærumnam patienter, quoniam tibi futura esset magno bono & lucro, nónne hoc sufficeret, vt cōpesceret impatientiam tuam? imò vt excitaret simile gaudium, atque Apostolis, qui ibant gaudentes quoniam digni habitu sunt pro nomine IESV contumeliam pati? cur modò non te sustines? Illud nuntium miraculosum non deberes putare tam certum, vt est documentum fidei: nam licet interdum dubitare tunc, cùm posset te illudere spiritus malus; & tu falli in sensibus tuis. Igitur si veritas hæc ex fide certior fit, quām si Angelus de cælo euangelizaret tibi, cur minùs te debeat commouere? Cognitio-
nis certitudinem & rei conscientiam sequitur modus operandi, & iuxta excellen-
tiā notitiæ debet esse præstantia operis.
Quare qui ambulare in veritate vult, suæ
gressus vitæ & actiones conformes faciat suæ
fidei; nec tantūm vera credat, sed verè, ne
ridi-

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 21
ridiculus Angelis sit , & socius dæmonum,
qui etiam credunt sine operibus.

Quid prodest scire viam cæli, si non ambulas? Sciunt melius spiritus mali; & tamen quia consistunt, sunt dæmones. Dicito mihi, quid vtilius tibi nolle benè operari, aut dæmonibus non posse? Perinde est in plerisque nolens ac impotens: imò tibi est damnableius & turpius, nolle cùm possis. Dæmones credunt, & contremiscunt: vtinam tu, cùm credas, timeres! Cur non contremiscis ad iudicia Dei, considerans certitudinem eorum; & ambiguitatem tuæ sortis, vel ad supplicia æterna, vel ad gaudia? Quid est, si credimus magnitudinem diuinæ bonitatis in se, immensi amoris erga nos, & summorum beneficiorum eius, cùm non respōdeamus amore nostro, fidelitate & obsequiis? sed potiùs audeamus offendere vel venialiter, & non colimus & amamus omnibus nostris viribus & infatigabiliter Deum, qui omnibus viribus omnipotentiæ suæ creauit, & fouet nos, & perfectè ac æternè amat, & dilexit usque in finem, & usque ad mortem amavit? Quid est quòd semper amentes nobis, & inuercundi in suam Maiestatem sumus, siue credamus, siue non verè credamus, dum segnes & torpidi manemus? Si non credimus indubitanter, quæ maior stultitia, cùm homines

B 3 om-

omnia credant adulatoribus, quod ad gustum suum loquantur quae comoda illis sint, quam non credere res fidei, quae utilissimae sunt nobis, ita esse; & maximi lucri & honoris nostri, quod verae sint? Quae maior irreuerentia, quam credere homini, cum omnis homo sit mendax, & qui falli possit; & non credere Deo loquenti nobis utilia, & ea confirmanti tot miraculis? Si vero credimus haec, & contra operamur; quae maior irrisio Dei, quam respuere bonitatem suam amabilissimam, nihil facere amorem, sanguinem, & beneficia sua, atque non timere infernum vel purgatorijs poenas, aut non sperare & desiderare ardenter gloriam caeli; quae Deus magna putat, & ut magna nobis minatur, ac pollicetur, ut bene operemur? Quis maior furor, quam exponere nos per nostram socordiam periculo amittendi gloriam, aut morandi in purgatorijs ignibus?

Oportet in omnibus nostris actibus conuenire rebus quas credimus; & plus affici, quam si visu aut aliquo sensu & experimento constarent nobis. Accepisti corpus Christi, aut assistis tremendo sacrificio Missae: si credis quod Christus tecum aut praesens est, maiori summissione & reverentiâ debes adesse, quam si oculis tuis patenter conspiceres; maiori fiduciâ precari, quam si ut sancto Stepha-

phano tibi panderentur cæli , & videres hierarchias Angelorum comitantes Christum ad te descendenterem , vt ab eo aliquid peteres : nam certius est per fidem venisse Christum ad altare , quām si visu tuo illum intueris . Hoc modo curet quisque penetrare veritates fidei , ac in earum certitudine se affirmare , consequenter perinde operando . Quo modo consequenter procedis , & non tibi ipsi imponis , cūm dicas plus æstimare minimam gloriæ particulam , quām vniuersi orbis imperium ; & tamen pro cælo nec ullam voluntatem tuam velis negare , & pro rebus temporalibus sine fine labores & angaris ? Hoc videtur contingere non posse , nisi æstimentur plus terrestria & caduca , quām cælestia & æterna bona .

C A P V T V.

De spe veniae & zelo pœnitentie.

Qui plus bonus est , plus odit peccatum : qui plus odit peccatum , magis cupiditer destruere illud : plus igitur desiderat Deus dimittere peccata , quām pœnitens ipse , qui veniam postulat . Deus magis bonus , ideo magis odit mala . Si peccator qui malus est , odit suum delictum , & vult destruere ; quanto magis Deus qui optimus est ? Quisque quæ sua

B 4 sua

sua sunt, quærit : solus Deus quæ tua sunt, tuamque salutem exoptat, ne dubites de veniâ & auxilio diuino. Locupletissimum fideiussorē habemus Filium Dei, si velimus conuerti. Nec deest mansuetudo creditori, nec fors sufficiens fideiussori. Ne diffidas, peccator, ob enormem magnitudinem tui debiti: respectu infinitæ misericordiæ Dei, & meritorum Christi, exiguum est. Infinitus noster thesaurus, IESVS est crucifixus. Stultum erit putare, maximum Imperatoris ærarium non sufficere, si tibi concederetur, ut inde solueres drachmam quam debebas: stultius est morari, quo minus satisfacere Deo velis, confidens in IESV.

Ridiculus eris, si tibi iniustus es, qui alijs esse vtilis & beneficus gauderes. Quantum gratulareris, si tuâ occalione & diligentia facta fuisset conuersio sancti Augustini, aut Magdalenæ, aut Pauli Apostoli, aut alterius magni peccatoris, quem adduxisses ad Deum; & modò id facere absque dubio conareris, si in tuâ potestate esset facere aliquem verè pœnitentem & æquè sanctum, ac Magdalenam: recordare quòd in tuâ potestate sit cum gratiâ Dei facere te pœnitentem, & seriò dolentem de peccatis, etiam leuibus, & valdè feruentem & sanctum: conuerte te, & gloriare de tuâ conuersione plus quam de alienâ.

Quis

Quis, dum non sit desperatus, si iam moribundus præ fame esset, panem vellet dare leuiter esurienti, nec indigenti illâ misericordiâ crudeli, & se in extremis positum pateretur perire? Te mone, te hortare, tibi prædica: nihil desideratur, ut dimittantur tibi peccata, nisi tuum desiderium, dolor, & dispositio, ex gratiâ etiam. Ecce Deus expectat paratus; maius auxilium vult dare. Iam habes pignus suæ bonæ voluntatis, tuam voluntatem boni quæ à Deo est.

Nescio quomodo, cùm constes corpore cognato brutis, & animâ cognatâ Deo, corporis tuendi artem commendes & quaeras, at animæ medicinam à vitijs tuis & morbis contemnas. Præcipua sollicitudo sit præcipuæ rei. Prima cura animæ sit, propter quam corpus est: & iam si prima, hoc modo sola debet esse. Animæ morbi maiores sunt, & plures, & perniciosiores; eius medicina certa & sine dubitatione, cùm sanentur, qui verè volunt sanari: corporis verò curatio est fallax; nam non statim conualescunt, qui curantur. Tum medicamenta corporis difficilia, amariora, maioris sumptus, nec in promptu sunt; sed deportari est opus ex transmarinis, & ferè ultramundanis regionibus, quæ sunt in alio orbe; animæ verò remedia faciliora obuia, quæ non modò domi habeas, sed in te ipso, nec ultrâ

B 5 tuam

tuam voluntatem. Cur igitur tot animæ tuæ
malis non mederis, cùm solliciteris in quavis
corporis affectione malâ?

O summa Veritas Dei illumina me, quia
ignorantia hoc efficit: nam corporis affectio-
nes iudicat animus, & sentit; animi verò mor-
bos non sentit corpus: solum ab animo sen-
tiri & cognosci possunt; sed cùm id ipsum
langueat, quod deberet iudicare, ideo suos
morbos non iudicat anima, nec querit reme-
dium: sed quò peius se habet, minus se sentit
malam; quò magis ægrotat, minus ægritudi-
nem suam cognoscit; velut membra corporis
grauius laborant, cùm sensum amiserunt.
O Domine, quantum languent animæ no-
stræ, quæ non dolent tot defectus, distractio-
nes, negligentias & irreuerentias erga te, qui
habitatis in nobis! Da mihi, vt leuissimam
etiam culpam fluijs lacrymarum expiem, &
toto corde doleam, nec patiar in me ullam
offensionem tui.

Quam excusationem potest dare homo,
quòd non cōuertatur, adhæreatq; Deo statim
omnibus suis viribus? An quòd non sentiat
suum malum, cùm ad oculum non pateat?
Sed iam per fidem monemur, quæ certior est
oculis. An quòd natura nostra infirma sit, &
prona ad malum? Sed hoc ipso debet quæ-
xere robur, arma, & fauorem Dei; ne fine
ope

ope & armis iaceat in imbecillitate suâ relictus inimicis suis. An quòd plura sint incitamenta ad peccandum ? Fallitur, plura sunt & fortiora ad iustitiam , & repugnandum. Si mundus hortatur, Deus vetat : si natura inclinat, gratia compescit : si dæmones suggerunt, Angeli inspirant. An quòd mali prosperrantur ? O insania , amare momentanęam prosperitatem, & non timere æternitatem calamitatum ! An quòd tempus sp̄eres in senectute reformandi te , nam Deus expectauit multos ? O insensate, non est promissa vita, sed oblata venia, ô ingrate , abuteris gratiâ & patientiâ Dei. Caeue ; non iniuste Deus aget, si non dederit veniam quando & quomodo vis, cùm nolis modò cùm inuitat. An quòd sit molesta via virtutis & spiritus ? Sed numquid placidior erit inferni aut purgatorij ignis ?

C A P V T VI.

Forma peccatoris proponitur.

OVOS Cherubim & Seraphim, qui tegitis pedes & faciem, quia pudet non satis amare bonum meum Deum meum, commodate mihi linguam vestram, commodate vocem Archangeli, & tubam Dei, ut per uniuersum tonem euocando mortales : Surgite mor-

mortui, etiam dum viuitis, & venite ad iudicium : venite, vt iudicetis quoddam facinus stupendum, quod nunc contigit. Venite vt irascamini , venite vt rideatis, sed potius venite vt fleatis: historiam lamentabilem nuntiabo, quam certò mihi constat euenisse , vt arbitri de illâ sitis. Feminam quamdam, pedibus, manibus, & collo ligatam , trahebant quidam latrones volutando per fœtida loca, eamque in fornacem æstuantem incendio horribili coniçere volebant: occurrit tunc Rex, cui potentia & ceteris dotibus par nullus fuit, imò ille solus in se usurpauerat omnes naturæ liberalitates, & humanæ spei auaritias. Fortior erat Samfone, prudentior & locuple-tior Salomone, felicior & benignior Dauide. Hic misertus feminæ illius, vt illam liberaret (solus enim erat) exposuit se morti; & acceptis magnis vulneribus, fuso toto cruento, fugauit latrones, & mundauit illam , quæ horrida sordibus fuerat, balneo facto de suo sanguine, cum aqua non suppeteret pura: accepit in sponsam, licet æthiopissam & inuenusta esset, atque sui imperij coronauit Reginam: extruxit illi prætorium magnificum, adornauit mirè, sculpens vndique imaginem sui, vt conciliaret amorem & memoriam sui in feminâ illâ : disposuit familiam, & donauit ei innumeros seruos ; & quod plus est, adeò ex-

tra

tra se ferebatur præ amore illius, vt ipse ministraret illi etiam in obsequijs humilibus: deliciæ præterea suæ erant esse cum illâ, aut cogitare de illâ, nihil aliud quâm redamari desiderans: instituit denique heredem Regni sui; promissis ad hæc multis donis maioribus, si seruaret fidem. Nihilominus, quasi tot beneficia solum negotiarentur perfidiam & odium, contempto sposo & Rege, sollicitabat sponsa illa ad adulteria mancipia & seruos viliores, qui stabula curabant: illi tamen fidelissimi Regi, partim fugiebant, partim præ dolore occidebantur; nam disperire malebant, quâm videre non seruari fidem optimo Principi, & sposo. Demum ingemiscerant cuncti Reginæ iniquitatem; nec propterea desistebat illa cogere, prostituendo se omnibus. Nec stetit hic scelus: cum benignior erga illam esset sponsus, incredibile crimen excogitauit; prodidit illum, tradens hostibus suis, quos capitali odio prosequebatur Rex: quorum mancipium illum fecit scelerissima femina, & seruire maioribus inimicis suis coegerit; qui excæcarunt illum, & illuserunt: at quod mirum magis est, mansit illa oblita omnium beneficiorum & donorum, fruens Regno, & imperans præfictâ fronte securior & lætior, quasi egregium aliquid parasset. Nunc iudicate, homines, nunc ius dicite:

dicite: quis erit, qui non iratus indignatione
 2. Reg. 12. aduersus feminam illam nimia, dicat; Viuit
 Dominus, quoniam filia mortis est femina
 quæ fecit hoc. Sed nequam finita historia:
 nequitiam hactenus dedi, restat stultitia.
 Nam cùm odisset & contemneret pulchrum
 sponsum Regem, imagunculas illius, quæ
 per angulos aulæ incisæ tuerant, osculabatur,
 & summè venerabatur ob pulchritudinem
 illarum: quæ tamen collatæ ad sponsum fœ-
 dæ erant, nec integrè referebant totam illius
 pulchritudinem; sed quædam oculos so-
 lùm, aliæ manus, aliæ ora repræsentabant:
 cumquæ sponsus coram sponsâ esset, eius
 amplexus desiderans; illa terga vertebat, per-
 tæsa Regem, & icones illas quærerat. Nunc
 iudicate, ô mortales: Viuit Dominus, quo-
 niam filia risus est femina, quæ hoc facit.

O vtinám te capiam dolis Nathan, & re-
 sipiſcas pœnitentiā Davidis! Tu es, ô anima,
 femina illa. Hæc dicit Dominus Deus Israel:
 Ego vñxi te, ô homo, Regem super vniuersas
 naturas mundi: tibi creaui omnia: ego erui
 te de manu Saul & latronum luciferi & dæ-
 monum; de fôrdibus vbi iacebas, de inferno
 ardenti quò ruebas: mundauit te sanguine
 meo; & dedi tibi in cælis domum Domini
 tui Dei, & omnes delicias diuinæ in sinu tuo:
 dedique tibi domum hunc mundum ut pa-
 latium

latum regium , & creaturas omnes, quæ tibi seruirent : & si parua sunt ista, creationis, redemptionis & glorificationis beneficia adjiccam tibi multò maiora : propter quod horum beneficiorum me infectaris, & contemnis ? crimina tibi videntur beneficia mea? in me irasceris & animaduertis , vt in malefactores, qui puniūtur iis rebus ipsis quibus peccant : tu ipsis donis meis abuteris, velut damnans me in illis , ac si benefaciendo deliquissem. Quod beneficium meum meretur iniurias tuas ? Ego emendabo ; ego vltor tuus ero aduersus me : quia nihil nisi benevolentiam tuam desideravi magis, nec desidero, nec desiderabo. Paratus sum, vt me ames , destruere mundum, si peccatum fuit contra te, illum fecisse. Si culpa fuit mori pro te , iterum moriar , vt satisfaciam , vt reconcilier tecum. Si scelus fuit, parare tibi gloriam meam & cælum; vt parceres mihi, relinquarem illud denud , iterum exinanirem me , & orbarem maiestate & gloriâ. Cur putas, quæ in hominibus facta in alios, virtutes sunt laude dignæ, à Deo erga te facta esse delicta , opprobrio & damnatione digna ? At si beneficia hæc censes , quæ in te vnam omnibus meæ omnipotentiæ viribus & doloribus cruciatuum aceruauit & collegi: cur tu feligis in me maiores iniurias ? Fortasse in eo flagitium fuit , quod dedi

dedi multa & magna ; nam in singulis non agnosco culpam ; ideo vis me punire magnitudine & multitudine contemptum , & certare & vincere benefacta mea tuis opprobriis? en, pessimarum seminarum selectas iniqüitates in me amantem tuum tu vna collegisti. Placuit tibi nequitia vxoris Putiphar; & statim in me machinata , vis adulterare cum seruis , quos dedi tibi creaturas : & cogis ad hoc , nec discis fidelitatem earum , quæ fugiunt à te, vt Ioseph ; & celeriter prætereunt, vel pereunt : omnes ingemiscunt & dolent præ parturientium dolore ; nolentes quòd pecces in illis , nec ames illas , contempto sponso tuo , & Domino illarum. At tu addens iniqüitatem , criminaris illas, quòd elabantur ; & quereris de illis , quòd fugiant. Hæc est querela publica mortalium, quòd dij sui sint mortales, quòd pereant creaturæ. Accusas illas , quòd sint causæ vt tu adulteres; cùm illæ innocentæ, benevolæ tibi , & Deo suo fideles , fugiant à te , ne adulterium cum illis committas nimis amando. At tu, inquis, si essem locuples , si haberem diuitias , si haberem commoditatem istam , pacificè seruirem Deo , nec desiderarem plura : at quia omnia perdidi , & fugerunt à me bona , non possum nō facere hoc: penuria cogit me pecare, paupertas facit me desiderare res, & iniuste

stè cum iacturâ spiritus mei. Cessa queri, cessa
criminari; & potius audi creaturas, quæ me-
liùs quàm Ioseph officij te admonent. Ecce
Dominus noster, omnibus tibi traditis, obli-
uiscitur sui: nec quidquā est quod non in tuâ sit
potestate, quod nō tradiderit tibi, ut quidquid
velis faceres de nobis, præter hoc vnu, amare
nos; quomodo ergo potes malum hoc facere,
& peccare in Deum tuum? Quomodo possu-
mus nos sustinere tuum amorem, quem sibi
reseruauit Creator, & non potius fugere? Ut
tu dares te illi, dedit nos tibi: ut tu seruias illi,
nos seruimus tibi: disce à nobis seruire usque
ad mortem, non adulterare. Ut tu subsistas,
nos corrumpimur: nec enim malum exem-
plum aut scandalum tibi dedimus: non cupi-
mus amari à te; sed quod des Creatori id quod
melius habes, amorem tuum. Illum ama, &
lauda, quemadmodum nos facimus. Disce
zelum nostrum: nam ut tu facias idem, cor-
rumpi à te patimur libenter. Disce perire, ut
viuat gloria Dei: nam ut tu viuas, interimus
nos. Disce humilitatem nostram: nam cùm
germanæ tuæ simus, pares nobilitate paren-
tis; imò natu maiores, non erubescimus in
rebus humilibus seruire tibi, ut tu regnes
cum sposo tuo, & illum ames. Ut tu viuas in
æternum cum illo, conuertimur nos in for-
des & sanie, non dedignamur omnia vilia

C obse-

obsequia cum periculo & interitu nostro : solùm indignamur, in meliore arâ Dei, hoc est corde tuo , posita esse simulachra nostri propter nimium affectum erga nos ; & de nobis sæpius cogitari quâm de Deo , & immolari nobis non animalia, sed animâ tuam. Pudet, pudet victimam metalli terreni , aut honoris humani, aut voluptatis momentaneæ, esse animum cælestem , & in hoc gratiam diuinam, & ex hac gloriam æternam.

Placuit prætereà tibi , ô anima , perfidia Dalilæ; & mox aduersum me Deum, amantem tuum , tentasti similem. Prodidisti me, quemadmodum Samsonem, maioribus hostibus meis captiuum, seruum Philistheis peccatorum : nam seruire me fecisti in peccatis tuis ; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis : neque ego vllum alium inimicum habui, & ita odi, veluti peccatum: tu nihilominus es causa , vt ego faciens oriri solem , & pluens opportunis temporibus , lactans fructus terræ, coquens poma arborum, condiens pascua pecoribus, seruam gulæ tuæ: facis, vt conflans metalla in terræ visceribus, auaritiæ tuæ ministrem. O facinus, facere Deum seruum facinorum, captiuum iniquitatum, promum condum scelerum, œconomum malignitatum! Vitia quoque tua mihi illuserunt quasi cæco . Ante iudicem seuerum nemo auderet

audieret committere furtum, nec pueri ante pædagogum aliquid indecorum facere; at si eruas oculos, quiduis etiam, si sit præsens, patravit, motant gestus ridiculos, & illudunt ei impunè: sic tu etiam, si noscebas me præsentem, flagitia patrabas, quòd me cæcum facere voluisti. Tua scelera, hostes mei, id fecerunt; quibus tu excæcata, me quoque cæcum putabas: sic demū me tradidisti aduersariis meis, vt ad illos occidendos opus mihi fuerit mori; nec melius quām morte meâ occidere peccata, instar Samsonis, iustè potui.

C A P V T V I I .

Altera pars parabolæ. Et quomodo creaturis videntur.

Sed & illud ridiculum prosequendum inconsolabili fletu, ô anima, cùm contempta pulchritudine verâ sponsi tui, in imaginculis creaturatum partiales adumbrationes illius adoras. Si Imperator quidam maximus designaret diem & locum, vt inauguretur adoratione Procerum, & ad hoc coacto iam populo, purpurâ indutus, diadematè redimitus, armatus sceptro, torque aureo, & ceteris insignibus maiestatis verendus procederet, sedensq; in medio fori super sublimem thronum, iam expectaret ritus venerationis; & si

C 2

tunc

tunc omnis populus relinquens illum, verte-
retur ad statuam rudem eiusdem Principis,
cuius dimidia tantum facies signata vix esset,
& ferè deleta, sine distinctione lineamento-
rum, eamque adorarent omnes & obserua-
rent, relinquendo solitarium Imperatorem,
ut nemo illum respicere, nec flectere genua
veller, quam frigidus & erubescens maneret!
Quid si non ad statuam, sed ad vestigij eius
notam, quam in luto expressisset, accurrerent
cuncti adoraturi; ipsum verò Imperatorem
desereret, vanâ totâ Maiestate, & spe suâ irri-
tâ? Hoc facis, ô anima, concisam & infor-
mem bonitatem creaturarum, quæ vesti-
gium est diuinæ, diligens & adorans; augu-
stam illam, originalem, integrum, & pulcher-
rimam contemnens. O homines, cur Deum
solitarium relinquimus in Maiestate suâ? &
ad quem veneraturi in vitam conuocamur,
terga vertimus, & præoptamus lutum; quale
facinus fuit præponi Barabbam Christo, ut
Christus attolleretur in crucem? quantum
erit præferri cœnum diuinitati, ut cœnum
attollatur in Deum?

Quid falleris anima? nosce, creatas bo-
nitates solum esse offuscatas & rudes simili-
tudines Dei. Cur litura placet, & limpidum
& viuens archetypum non delectabit? Con-
stitue coram viatore defesso equum viuum,

&

& sculptum: ánne vt commode peragat iter,
accipiet statuam equi, quâ ipse onultus ma-
gis fatigabitur? cur oneraris creatis bonis, vt
iter vitæ peragas melius? simulacra sunt bo-
nitatis viuæ: cum Deo solùm sine fatigatio-
ne itineraberis. Offer famelico edulium ve-
rum, aut pictum, ánne saturari de picto volet?
cur tu imagines & umbras appetis, non ve-
ram bonitatem? Absurdior est homo quâm
canis: qui si in frustum panis inciderit, pa-
nem arripit; non in umbram eius, relicto ve-
ro cibo, dentem conabitur figere: tu, relicto
Deo, umbram eius amplecteris. Cur vis par-
tem plus quâm totum? Quis sitibundus vi-
dens duas amphoras, integrum vnam, diui-
sam in fragmenta alteram, contemptâ inte-
grâ acciperet capulum solum concisæ, aut
aliud fragmen inutile, vt hauriret aquam,
extincturus sitim ardentissimam? Creaturæ
partiales sunt icones diuinæ bonitatis, cuius
perfectiones diuinæ sunt per creatas naturas:
cur tu partem mavis quâm totum; & partem
illius totius, quæ non iuuat nisi in toto? Nec
creatüræ iuuant singulæ, nec omnes simul,
nisi in Deo: amphoræ concisæ nec quælibet
pars, nec omnes simul ad hauriendam a-
quam profunt: sola in integritate diuinæ
bonitatis, sitim satiare potest appetitus.

Nosce imaginum usus: non sunt ut usur-

C 3 pent

pent voluntatem , sed vt iuuent memoriam.
Tu oblitus Dei occupas voluntatem , sed
non imples : inde quia numquam satias , po-
tes agnoscere abusum . Quantumuis ames
bona mundi , & consequaris cuncta, eâdem
inanitate & fame cupiditas laborabit. Panis
pictus non satiat , sed figura est eius quod sa-
tiat : sic bonitates creatæ non satiant appeti-
tum, sed imagines sunt eius quod satiat, nem-
pe Dei. Perinde sunt voluntati omnia bona
mundi, vt ignis pictus gelidæ manui: accipe-
re, applicare illum potest; sed non foueri &
recreari illo. Prunarum pictura oculos affi-
cit , non frigentis hominis satisfacit tactui.
Creatæ res mentem admonent, non satisfa-
ciunt amori. Monitoria diuinorum voluit
Deus in fimbriis insui, manibus appendi, scri-
bi in postibus & ianuis domorum ; ne um-
quam Israhel veri Dei oblitus , alienos adora-
ret. Non minus diligens in mundanâ domo,
quam ipse homini ædificauit, vbique moni-
toria sui insculpsit, in postibus, in ianuis, in pa-
uimento terræ tot naturis , in laqueariis cæ-
lorum tot lucibus. Omnia bona rerum phy-
lakteria tua sunt , vt Deum ames, & nihil a-
liud adores: vt quid, velut Pharisæi, admo-
nitionem contemnens, dilatas illa, & magni-
ficas fimbrias, plura possidens , aut cupiens,
aut magna reputans ?

Inter-

Intercipis consilia Dei, id ipsum adorans,
 quo prouidit, vt nihil aliud adorares, quâni
 illum. Age, intercipe cupiditatem tuam, id-
 ipsum quod appetit præuertens, obiectâ di-
 uinâ bonitate; vt ex appetitu rerum, nullam
 rem appetat, nisi Deum. Occurrit aliquid
 amœnum, aliquid iucundum? statim vali-
 dum clypeum oppone Deum. Quale hoc in
 sponso meo erit? nolo occupari in hac micâ
 venustatis, in hoc atomo dulcoris; sed totam
 amœnitatem hauriam in Deo, totum sapo-
 rem glutiam: nolo vt Lazarus saturari micis.
 Si potuit delectare paruula litura, exemplâr-
 ne limpidissimum minus poterit? Tauri di-
 uertuntur & illuduntur obiecto pallio, aut
 aliâ re quam sine hominis periculo impe-
 tant: tu obiice grassanti cupiditati Deum,
 vt à rebus creatis diuertas illam, in quem
 cum fructu ruat. Hoc pacto, ô imbellis
 spiritus, salubriter & iustissimè præuaricabe-
 ris appetitus tui veneno; vt ipsa cupiditas re-
 rum, per quam Dei solemus obliuisci, fiat
 tibi memoriale diuini amoris, & stimulus
 charitatis. Ipsa cupiditas, quâ auarus num-
 mum argenti concupiscit, si offeratur au-
 reus, magis cupiet; quia in aureo valor argen-
 ti continetur, & exceditur: sic tibi concipi-
 scenti diuitias ac voluptates obiice Deum, in
 quo valor illarum omnium continetur, &

exundant omnes: ita incredibilem fructum experieris. Continuò præsens Deus obtinetur tibi; & acues amorem eius, vt sine magno impedimento verseris inter humana & necessaria negotia, donec maiores sponsi tui amplexus gustes, eleuato & robusto spiritu, cùm iam non inquietabunt te creaturæ; sed offendent adeò, vt ipsum cælum visibile tibi fordescat præ Deo meo & IESV meo. Ei qui videt solem, non apparent stellarum luges: collatae ad Creatorem, insulsæ & fœdæ sunt creaturæ. Sidera quia accipiunt lumen à sole, tamquam nihilum sunt ante solem, quia non videntur: sic omnia quæ sunt, quia accipiunt essentiam à te ô Deus amator hominum, tamquam nihilum ante te, ante tuam superessentiam essentiam & bonitatem.

Sed adhuc est fructus creaturarum eas fastidienti. Audis alium amare aut desiderare illas? erubescere, & luge hominem socium naturæ tuæ, oblitum Dei; atque attolle te, & restaurare satage opprobrium communis naturæ amando pro vtrōque Creatorem. Omnia amorum, quibus mundus amat bona caduca, reum te puta, & satisfac diligendo æternum. Omnia inclinationum, quibus res ad centra sua proruunt, debitorem te æstima; nec differas soluere, celerius mentem & amorem eleuando ad cælum, quam
saxum

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB.I. 41
saxum dimitteretur à cælo. Omnia creata
propensionibus suis vestigium bonitatis Dei
amant, quærendo benè esse: pudeat te, &
plores veram ipsam bonitatem propensiùs
non amare, cùm fortior sit gratia quam na-
tura. O quale illud erit, cuius umbram tot
conatibus amant creaturæ; ad quod aspirat
& concertat totalis omnium amor! Tu om-
nes dispersiones inclinationum, omnes er-
rores cupiditatum in te congregare cura, ut
in Deum contendas, & emendas obliuio-
nem hominum.

C A P V T VIII.

Affectus veri pœnitentis.

Transfer, transfer à me peccata mea, ô
Pater amantissime, qui in cælis es. Sic
te inuocare audeo, consensu & doctrinâ a-
mantissimi filij tui IESV, vt te distinguam ab
eo Patre, quem in inferis elegi sceleribus meis,
quibus malui esse filius diaboli, & fui diu. Fa-
cio tibi palam peccata mea immania & innu-
mera: quæ si possem, illa potius occultarem
& oblitterarem sanguine cordis mei, ne vul-
lus tuus læderetur horrendis spectaculis. Sed
quia nec omnium hominum nec animalium
sanguis vnum solum occultare & delere po-
test, ostendo tibi, vt vñā guttā sanguinis di-

C 5 lecti

lecti filij tui I E S V penitus aboleas. Ostendo
tibi quæ peccauerim in te : nam non minuit
malitia mea bonitatem tuam. Post maligni-
tatem meam , & innumera scelera manes , ô
Pater, bonus. Si ergo malus & pessimus ego
perhorresco , & nollem videre crimina mea;
tu bonus & optimus quomodo poteris ferre
talia spectra , quin aboleas & destruas ? Plus
tu bonus odisti peccata mea, quam ego pessi-
mus nunc odi , & anteà amau. Tentaui flu-
mine lacrymarum abluere illa ; sed non nisi
cruor amati mei I E S V lxiuum peccatorum
est. In inferno nequitiæ meæ sum ; non gut-
tam aquæ, vt ille diues à patre Abraham , sed
guttam sanguinis Christi postulo à Patre mi-
sericordiarum ego diues & locupletissimus
omni iniquitate. Hac meâ petitione nolo
fraudare iustitiam tuam , sed solùm nolo of-
fendere bonitatem tuam. Ut abluas culpas
magis precor, quam quod remittas pœnas.

O Pater cælestis, perinde exosculor & amo
iustitiam tuam erga me , sicut misericordiam
tuam : non tam precor indulgentiam pœnæ,
quam culpæ veniam. Opto sum moperè , &
extoto corde, omnium creaturarū desideria
in vnum cogere ; & vellem omnia simul desi-
derare , vt vindicet iustitia tua peccata mea.
Omnium dæmonum & hominū pœnas in-
fernales in me vnum susciperem libentiùs,

nec

nec ternerent illæ , vt non terneret me facies tua. Maius malum est peccatum meum, quām illæ : imò non est comparatio ; quia solum peccatum meum malum est , illæ bonæ sunt, quia tu inflgis. Atque si haberem illas, non me facerent ex eo magis malum, temperatâ & immixtâ malitiâ meâ cum bono illarum , nec haberem malitiam meram à me, sed cum aliquo bono à te ex iustitiâ tuâ.

Sed ô Pater misericors, vereor, ne dum cupio humiliter detestari peccatum , denuò superbè peccem : optarem descendere in infernum , si fieri posset ut simul gratiam tuam obtinerem. Quomodo ergo plenus peccatis audeo optare , quod Sancti tui amici optauerunt : Quomodo ego solum infernum desiderabo , qui solus peccator peccatorum sum. Quis locus inferni mihi erit ? an in profundissimo ad pedes Luciferi ? Si hanc iam optauit sedem aliquis amicus tuus , quomodo au-sim ego ? Locus est ille concupitus à Sanctis tuis , & gradus ad cælum alicui fuit. Seruus tuus ex Dominicanâ familiâ frater Vrigman cùm nullum sibi locum congruum reperire putaret, nisi in profundissimo inferni sub ipso Lucifero, audiuuit vocem è supremo cælo delapsam , inuitantem , Cito huc ascende , ad thronum altissimum, in cor Dei Patris: quomodo ego illum locum audeo appetere?

Quid

Quid ergo? erit alius locus infra omnes mihi peccatori super omnes? an ad pedes Iudæ? Sed hunc locum sibi arrogauit iam alius seruus tuus, meus Pater beatus Franciscus Borgia, qui & decessit illo loco, cum atten-disset à Domino meo IESV humillimo occu-patum aliquando. Qui locus mihi restat? an sub pedes eius qui alapam IESV dedit, cum saepius ego colaphum impegerim? an sub pedes Caiphæ, cum quotidie damnauerim ego Christum, eiusque doctrinam? an ad ianuam inferi, ut omnes introéentes me pessum-dent? an expectabo præcipitum Antichristi in barathrum infernale, ut subter eius pedes patiar? O benignissime Domine, peior & pessimus omnium peccatorum sum ego: non mihi locus est in inferno, quia indignus omni loco sum. Indignum me accuso etiam socie-tate dæmonum, ut mihi soli infernus vilior & atrocior præparandus esset. Ego sum op-probrium naturæ, pudor generis humani. Si in te Pater verecundia cadere posset, nullius rei te puderet, nisi quod tam horrificum & abominabile monstrum conserues in mun-do, ut meæ culpæ me fecerunt.

Quin & ipsis dæmonibus dedecori sum, & à suâ societate infernali meritò me repelle-rent. Nónne peior sum dæmonibus? in na-turâ apertum est: in moribus etiam fateor: nam

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 45
nam video plura in me propter quæ id con-
cedam. Siquidem damnatio dæmonum vni-
cum peccatum cogitationis fuit: mea verò
sunt infinita peccatorum grauissimorum ope-
ra. Quæ distantia erit à malitiâ illorum ad
meam? quæ est ab vnitate ad numerum in-
numerum. Sed mutentur conditiones ad-
huc: maiorem nequitiam meam agnosco, &
si dæmones propter innumera peccata dam-
nati fuissent, & ego vnum solum haberem:
nam dæmones non peccarunt contra Deum,
qui propter ipsos Angelus factus fuit; non ex-
perti erant tantam bonitatem Dei: non pec-
carunt contra Deum, qui pro ipsis crucifixus
fuit: non peccarunt contra Deum, qui se
ipsis dedit in cibum: non peccarunt contra
Deum, qui tam sublime sacerdotium illis re-
liquit: non peccarunt contra Deum, qui ex-
emplo suo eis dedit documenta bene viuen-
di, qui per triginta & tres annos continuis la-
boribus eos docuit. At ego peccaui (proh
anima mea, quomodo non liquefis, cùm
tale cogitas?) contra Deum, toties optimum
mihi, qui pro me mortuus est, qui mea pec-
cata in cruce lacrymatus est cum clamore
valido, & in horto guttis sanguinis luxerunt
singuli artus eius meas singulas culpas. Ego
indignior sum Lucifero, indignior dæmoni-
bus, indignior Iudâ, qui nondum viderat

IESVM

IESVM pro se mortuum ; indignior Antichristo , qui non toties experietur tantam misericordiam Dei, vt ego : meritò igitur dediti-
ri possunt mei contubernium ; neque infernus dignus me est , nec tantam iniquitatem
meam capere volet.

Plus quām infernum hunc mereor : mereor esse extra omnem naturam , ne inhonor-
em illam , qui dedecoraui decus suum : oc-
cidi , quoad in me fuit , patrem eius : abstuli
coronam creaturarum de capite suo : con-
temnendo auctorem , singulas creaturas in-
honorauit : ideo deberem esse scopus odij
omnium , & gaudere meā annihilatione pos-
sent. Fortasse hoc peterem , si simul fieri po-
tuisse quod ego dedecus naturae , iniuria gra-
tiæ , irrisio Diuinæ voluntatis non fuisset.
tamen , quia mereor torqueri , quem locum
inueniam ?

Tu ô Potentia infinita , ô Sapientia incom-
prehensibilis , ô Iustitia immensa , quærere
potes quid de me agas. Interim dum locus
inuenitur , & præparatur , expecto non sub
satanâ , non ad pedes Iudæ , nec interim oc-
cupabo locum Antichristi ; quibus locis ad-
huc me indignum fateor : sed ad pedes Filij
Dei , & Matris eius stantis & lacrymantis ad
pedem crucis mei IESV ; qui maiorem patientiam
habent , & tolerabunt me , quem non
tolerarent

tolerarent satanas , nec Iudas , nec concilium
damnatorum. Parcas quæso , si abutar pa-
tientiâ Filij tui , & Virginis eius Matris. Ad
pedes IESV & MARIÆ iaceam : noscunt iam
hæ plantæ calcare venenata. Ego sum chimæ-
ra illa virulenta & ferina , & quadriformis
deformitas , & monstrum multiplex ; oculos
basilisci habens, caput aspidis, vngues leonis,
& immanitatem draconis. Sed ô Pater misé-
ricordiæ , quia super me aspidem & basili-
scum non potest modò ambulare I E S V S
meus , nec conculcare hunc leonem & dra-
conem ; fixos suos pedes mea peccata tenent;
conterat interim malitiam meam planta bea-
tissimæ MARIÆ meæ matris, conterat misé-
ricordi intercessione suâ , huius serpentis ca-
put. Ego sum causa doloris eius , & reus sua-
rum lacrymarum : de me conqueri iure po-
test, & in me sœuire. Affueti etiam sunt mon-
stra peccatorum tolerare & tollere pedes pu-
rissimi IESV. Non quæro illos inter epulas &
delicias, vt Magdalena; sed inter clauos, cru-
ces , dolores : & quia rigare illos lacrymis ne-
queo , cupio illorum crux ablui. Non irre-
tiat capillis illos pedes quos video , ne fugiat
Dominus meus horrorem & factorem mei
peccati : implexos ferro acutissimo video;
officium meum fuit hoc. At si gratum fuit
his pedibus beneficiū à Magdalenâ factum,
etiam

etiam iucundum fuit tormentum quod ex meis peccatis occasionem habuit. Ego, Domine, confixi illos: plus mea valuit in hoc malitia, quam bonitas omnium creaturarum. Angeli dolent ac stupent; creaturæ tremunt ac conqueruntur: repugnat omnis lex, reclamat omne ius: solum peccata mea mortem Vnigeniti Filij tui postularunt & patrarent. Palam hoc obtestor, si forte hoc modo includar in oratione Iesv. Ipse ipse orauit pro crucifigentibus se. Ecce adsum, ego fui crucifixor, & carnifex præcipuus: ego carnificum manus armaui, & imposui malleum in dexterâ, & clavum in sinistrâ. Ego primus impuli manum, ut transfoderentur tenerimi pedes. O quantum maius peccatum meum quam carnificum; qui Pilati sententiam, & Iudeorum voluntatem impleuerunt! Illi crucifixerunt iussi, quem putabant hominem, & malefactorem, & toto vultu deformem ex calamitosâ illâ nocte. Ego crucifixi illum denuo iam gloriosum, qui pro me iam crucifixus erat. Quis Iudeorum videns Christum, ut vidi sanctus Stephanus ad dexteram Dei, auderet tollere illam vocem, Crucifige, crucifige? at ego ausus sum non dicere modò, sed plus quam facere. Ego purgo, & excuso carnifices Christi: illi in die extremo confundentur vindicentes gloriosum quem confixerunt; ego vindens

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB.I. 49
dens gloriosum crucifixum pro me, non con-
fusus sum, sed iterum crucifixi: quam ergo
excusationem ego habebo?

O Pater, quoties huius memini, considerans tuam infinitam misericordiam, quā tantam meam ingratitudinem sustinuisti, non possum non optare mihi tuam iustitiam, nequeo recusare inferni pœnas meæ iniquitati debitas, dum tamen culpa deleta esset. Erit-ne infirmior diuinus amor, quām humanus? debilior charitas, quām concupiscentia? leuior amor tui, quām amor mei? Si amor mei contemnere Deum potuit: amor Dei cur non poterit me penitus contemnere & humiliare usque ad inferos? Iterum, iterum exoscular iustitiam tuam: puni & vlciscere in me tuas offensiones: nam qui temeraui omnia attributa, ut destruerem quantum in me est per peccatum; nunc talem remissionem & pœnitentiam vellem, ut restituantur omnia, & integra maneant. Manebunt, Domine, si per misericordiam tuam mihi tuam gratiam dederis, & per iustitiam pœnam meam. Serui tui Moyses & Paulus, anathema pro fratribus suis voluerunt esse: ego pro Deo meo, pro iustitiâ Dei mei, anathema & maledictum volo esse, ut CHRISTVS IESVS fuit pro me. Coriarius ille Alexandrinus optabat reliquis paradisum, se solum dicens

D. infer-

inferni cruciatus ingressurum; & Magni Antonij superauit perfectionem. Sancta Christina, potius quam cælum, elegit maximos cruciatus pro animabus. Ego, ut salua sit iustitia Dei quam violavi, cruciatus inferni non debeo reicere. O si imitarer IESVM, qui cum inseparabilis à Patre sit, descendit ad misericordiam nostram, ut maledictum esset: ego quoque vellem inseparabilis charitati tuæ fieri maledictum, fieri anathema usque ad infernum; etiam ibi amplexarer IESVM meum. Duo sunt mihi brachia: unum est humilitatis, quod illi supponerem, & sacratissimæ suæ humanitati vñirer; alterum dexterum est amoris, per quod Diuinitatem circumpleteerer. Eia Pater, ad pedes IESV, per ipsum IESVM, precor deleas fœditatem mei peccati: per illum ipsum à te impetrabo ut ignoscas, per quem tu non impetrasti ut non te offenderem. Maior est tua bonitas, quam mea malitia: valet tamen potius crucifixus Christus flectere & inclinare bonitatem tuam; & non præualuit apud me flectere & declinare malitiam meam.

CA-

C A P V T I X.

De ardenti desiderio seruientium Deo.

Non est iustum desideres exiguè, ô pusil-
lanimis spiritus, quod summum bonum
est. Gratia & natura sorores sunt: eundem
auctorem & patrem Deum habent. Si desiderare
non discis à IESV tuo, qui desiderio
desiderauit pati pro te, ut te pudeat non de-
siderare ardentissimè gaudere cum illo; disce
à rebus naturalibus, quomodo concupiscas
cælestia. Natura nullum concedit alicui rei
bonum, nisi eius præcesserit magnus appeti-
tus: ita nisi ardens desiderium ex gratiâ etiam
præcedat, non consequeris donum magnæ
virtutis. Res naturales plus optant, quam
consequuntur: ignis cùm ascendit sursum, nil
magis appetit quam contingere cælum; &
tamē illuc non peruenit: sed cupiditas illa ni-
mia opus fuit, ut in locū perueniret sublimē.
Saxum cùm decidit, desiderat descendere us-
que ad cor terræ; & tamen permanet in eius
superficie. Quam ardentissimam affectio-
nem ingessit etiam brutis erga fetus: vacca,
absente vitulo, mugit & clamat; & illuc, ubi
putat esse, regreditur ut primū potest. Ani-
malia, quæ timida aut imbecilla sunt, amor
prolis armat, irritat & ferocia reddit: hoc ve-

D 2 . . . hemens

hemens desiderium necessarium fuit ad vincendam difficultatem procurandæ sobolis. Res summè difficilis est , perfecta virtus & vnio cum Deo : quomodo difficultatem poteris vincere , nisi summè desideres ? Appetitus naturalis est dispositio ad perfectionem naturalem : sic cupiditas magna & supernaturalis præparat ad perfectionem supernaturalem , & ad suscipienda plura dona Dei , & maiorem gratiam. Auaris & mercatoribus, qui plurimùm audi sunt , comparauit Christus eos qui quærunt Regnum Dei ; ac beatos prædicauit , qui esuriunt & sitiunt iustitiam , duos ardentissimos appetitus vni rei copulans. Nullus est modus in desiderio placendi Deo ; nullum est medium nec modus, nisi semper absque modo & interruptione , & infatigabiliter optare & amplecti crucem , & numquam esse saturum patiendi. Sic intento & omnimodo animo debes seruire Deo: nam alioqui non rectè seruies : tota enim illa voluntas requiritur, ut non deficias præ difficultatibus , nec omnes adhuc vires possibles possent satisfacere particulæ diuinæ infinitatis.

Deus infinitus est : vide tu pusillanimis, quomodo audes limitare desideria tua. Hæc bona caduca desiderantur centies & millies, plusquam petunt & merentur desiderari , & tamen

tamen non obtinentur. Deus immensus & infinitus, cùm deberet desiderari plusquam infinitè; quomodo tam languidè & remissè ad illum aspiras, & sine æstu desideriorum indignè vis possidere? Excita te, & pudeat non desiderasse illum, plus quam alius homo desiderauit bonum creatum; imò plusquam alia creatura desiderauit Deum ipsum. Vehementissimum desiderium, clavis aurea est Regni cælorum, & totius profectus. Sicut enim sine desiderio nihil fit, ita sine ardentissimo desiderio difficillimum omnium perfici, & obtineri nequit. Gaudia terrena ut obtineantur, requirunt pro pretio sui multò maiora desideria, quam valeant, ut possint comprehendи & haberi vincendo difficultates consecutionis: quantus pudor est ad gaudium æternum infinitatis diuinæ intendere tantò minori affectu, quam illud valet, & petit, & tu potes?

Da mihi, Domine, qui coarctabarī usquequò in tuo crōre fuso baptizareris, præ magnitudine desiderij patiendi pro me, ut te desiderem. Quid mihi debet esse in cælo & in terrâ nisi tu Deus, & amator mei; & post te, nisi solū pati pro te, & tecum? Ardentissima pœnitentia, & debitus bonitati infinitæ amor est, cùm pro leuissimo peccato veniali vellem pati, quantum in me est, per

D 3 infi-

infinitos annos inferni supplicia , etiamne aliqua creatura illud committeret: quantum, Domine, deberem desiderare pro meo profectu, & ne committerem ego illud? & tam parum nihilominus sollicitor pro gloriâ tuâ. Nihil aliud deberem facere, nisi votis, precibus, suspiriis , lacrymis , ad hoc anhelare; & cum re nihil magni efficere possim , comparatione magnitudinis tuæ , desideriis curare excedere imbecillitatem meam , & supplere paupertatem propriam.

C A P V T X.

De contemptu & recessu mundi.

Non solum tristitia mundi, sed & gaudia luctuosum & noxiū finem habent: at in virtutis viâ non solum lætitia , sed mœror ipse & tristitia gaudium summum continent, & obtinent. Quid tristaris & tepefis in viâ spiritus? Cum magno tuo periculo diligis, si quidquam mundi amas : imò tua optas pericula , vbi adhuc ipsa bona quæ pretiat , sunt mala , & corrupta , & te corruptentia. Si modicum fermenti totam massam corruptit : quid illi sanum & azymum erit , qui mundo miscetur, vbi tota massa corrupta, & fermentum est ; vbi solum boni putantur qui sunt mali, & mali sunt plurimi? Qui se-
mel

mel mortuus est mundo, caueat ne posteā moriatur Deo, rediuius mundo; & aliquid terrenum exoptet, licet non possideat nec fruatur. Plus nocere solet amor temporalis rei, quām possessio & usus: non res, sed affectio nocet nobis, quār̄ vehementior est carenti. Ne sis, iuxta sanctum Iudam, arbor bis mortua & infructuosa. Mundo moritur, qui ē mundo egreditur: Deo moritur, qui ad mundum regreditur. Hic postquam amisit fructum & commodum mundanæ vitæ, rursus amisit fructum spiritualis; ideo omnino inutilis, & sibi sine fructu ullo. Eum qui mortuus est, mundus non patietur. Pelagus est mundana vita: mortuos mare non sustinet, sed intra triduum eiicit.

Cae ne fallaris, si nunc cūm non tractas mundum, putas esse bonum: memento fuisse malum, cūm illum tractabas, & non à longè noueras; proptereā illum fugisse. Crede magis experientiæ tuæ certæ, quām opinioni fallaci: crede magis tibi testi oculato, quām absenti. Scito non esse mutatum, postquam inde discessisti; nec meliorem tempore factum, nec securiorem de die in diem fieri, sed peruersiorem indies. Quotidie labitur: ætate plus delirat; maiorem error auctoritatem senectute obtinet: purioris vetustate malitiæ vinum propinat: annis magis præscribunt vi-

D 4 tia;

tia ; excitantur quotidie noua . Quia erat malus mundus , tolerare non potuisti : nunc cùm deterior est, cur vis amplecti ? Ipsis mundanis, qui illum constanter & fideliter amarunt , intolerabilis est & infidus , & de illo queruntur : qualis erit tibi, qui ab eo , & à Deo defecisti, utrique infidus . Quare ut fugitiuum mundus te flagellabit , & Deus ut perfidum non te defendet . Maior ratio te constringit modò ne regrediaris ad desideria mundi , quàm fuit egrediendi : at saltèm eadem sunt causæ , quæ fuerunt recedendi ab illo . Deceptus sibi est & cæcus , tibi fallax , vilis in se ; despiciendus , tametsi alicuius pretij fuisset , quia maxima bona impedit , & cruciat amatores suos ; vnde periculis refertus , non solum ipsarum rerum temporalium , sed , quod plus est , æternorum bonorum . Totus est mendacium : nam præter malitiam & inclinationem ad fallendum , ipse in se est deceptus ; vt etiam cùm non velint homines mundani fallere , te fallent . Ipsa sapientia mundi , stultitia est . Quomodo in illo videbitur veritas , vbi etiam ipsum lumen sunt tenebræ ? Quales erunt tenebræ ? totus apparatus mundi , & fundamenta eius , sunt instrumenta cæcitatis , & obtundunt aciem iudicij ; superbia , gula , libido , inuidia , ambitio , iracundia : quibus accedit perfidia ; vt ipsum cui magis

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB.I. 57
magis fauet , velut Iudas Christum , oscu-
lo suo tradat perditioni , & potestati tene-
brarum.

Fallax mundus est: suam gloriam, quæ ni-
hil est, summo pretio vendit. Parum esset, si
nihil solùm esset , nisi ignominia esset : glo-
riantur homines , quorum oporteret puduisse:
diuitias cuiq; mentitur permansuras con-
tra fidem experientiæ , cùm per tot manus
transierint , vt ad eas venirent , quibus nunc
possidentur. Bona simulat, quorum singula
non minùs sunt quàm trina tormenta : adeò
superant in mundo mala & angores , vt se-
quiduplo sint cruciatus & tormenta affligen-
di plura , quàm res sint in illo , & quæ bona
putat. Vnaquæque res antequam habeatur,
vt obtineatur , angit sollicitudine & labore ;
postquam obtenta est, timore & curis ne a-
mittatur ; at iam amissa , dolore & carentiâ
eius. O veritas cœlestis, quid magni agam, si
non desiderem hoc mendaciorum & ango-
rum chaos? Si relinquam pro te rem tam vi-
lem ; quæ propter se aut propter me relin-
quenda esset ? Ethnici plures Philosophi re-
liqueunt mundum propter pacem suam :
cur non relinquet fidelis propter gloriam
suam , & tuam ? Illi reliquerunt mundum,
quia in se contemptibilis : cur Christianus
non contemnet, quia tu inæstimabilis, & glo-

D 5 ria,

ria, quam sperat, sine pretio sit? Et si bonus
esset mundus, stultum esset si præponeretur
illi rei, in quâ est omne bonum.

C A P V T XI.

De modo acquirendæ pacis.

Non potes benè viuere, nisi continuò
moriaris, & vincas naturam tuam: non
poteris habere pacem, nisi te oppugnes: hæc
via lætissimæ libertatis. Cura alterius volun-
tatem facere libentiùs quàm tuam, & num-
quam infensus eris: ama potiùs minus habe-
re quàm plus, & de nemine queréreris: elige
semper inferiorem locum, & subiici vniuer-
sis, & vix tristis eris: exopta pati, & ferre
aliquid pro IESV, & neminem inuenies gra-
uem: in omnibus Deum quære, vt in te eius
voluntas fiat, & numquam turbaberis. Si al-
terius hominis voluntatem debes potiùs fa-
cere, quàm tuam; cur non diuinam volunta-
tem facies, & gaudebis, si in te impleatur?
Obserua hæc in corde tuo, vt perpetuâ pace
fruaris. Non potest obtineri vera tranquillitas,
nisi per contemptionem mundi, & victori-
am nostri. Dupli modo hoc fieri potest, si
vim tibi inferas contra id quod tibi videtur
in mundo aut in naturâ bonum & delectabi-
le; aut si cognoscas non esse bonum, & iudi-
ces

ces omnes res in veritate: hæc via suauior est,
& permanentior, quamvis contradictionem
tui appetitus debes semper cum magno fer-
uore adiungere. Qui tamen in fide & spiritu
sibi persuadet reruni veritatem & vanita-
tem; facillimè se vincet, & contemnet mun-
dum.

Nihil magis oportet ad profectum, quām
rectum iudicium de rebus ferre, & sensum
habere iuxta doctrinam IESV. Quid audis de
ore sanctissimo ipsius veritatis? Beati paupe-
res spiritu, beati qui lugent; beati qui persecu-
tionem patiuntur. Cur ea, quæ Veritas Dei
censuit beatitudines, tu censem grauia &
molesta? quomodo non decipieris, si ea pu-
tes mala, quæ de fide constat esse bona, & fa-
cere beatos? Credimus mysterium sanctissi-
mæ Trinitatis, quia Christus illud reuelauit
nobis. Idem IESV etiam reuelauit non esse
mala, sed bona, quæ mundus fugit, pauper-
tatem, dolores, iniurias: neque minus deberet
credere, ista esse bona patientibus, quām
Deum esse Trinum & Vnum, qui cognoscit
sic docuisse Christum. Aëstimemus ergo ve-
ritatem, & contraria mundo iudicia habeam-
us. O Veritas æterna, da mihi, ut omnia
temporalia iudicem mendacia; & quæ mul-
tūm nocent, ne iudicem magna bona, iuxta
doctrinam tuam! Da mihi, ne deceptus vi-
nam,

uam, ea magni faciendo, quæ odiſſe debebam. Si de fide est, paupertatem, humiliacionem, afflictionem, esse non solum bona, sed beatitudines: quomodo non eligo habere minus quām plus, despici quām laudari, affligi quām deliciari?

Qui in fide & veritate ambulat, æſtimans ea bona quæ Christus iudicauit, tantoperè debet abesse à tristitiâ propter inopiam suam & molestiam, vt summis has votis deberet desiderare, & lætari in illis, atque omnino & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & complectitur; & admittere, & concupiscere ex toto corde suo, & ex totâ animâ suâ, & ex omnibus viribus suis, & ex omni mente suâ, quidquid Iesuſ amauit & amplexus est. Quemadmodum mundani, qui ea quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt & querunt magnâ cum diligentia honores, famam, magni nominis æſtimationem in terrâ, sicut mundus eos docet, & fallit: sic qui procedunt in spiritu & veritate, & serio Christum Dominum sequuntur, amant, & ardentissime exoptant, quæ his omnino contraria sunt; indui nimirum eadem veste, ac insignibus contemptibilibus, quibus Dominus gloriæ indutus est. Adeò vt, si sine offensione ullâ diuinæ Maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, fal-

fa

sa testimonia , iniurias pati , ac stulti haberi & existimari (nullâ tamen ad id per eos datâ occasione) cò quòd exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Filium Dei. Ad hoc maius & impensius studium tuum sit , querere maiorem tui abnegationem , & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem. Cur vis deceptus viuere , non æstimando quæ æstimauit Deus , & ita honorauit , vt Filio dilectissimo & vnigenito dederit?

Profectò quamuis bona non essent , hoc solo titulo quòd IESVS ea elegerit sibi, honoratissima manebant , & digna vt toto corde concupiscerentur à nobis : & hoc solo quòd mundana bona reiecit , infamia & vilia sunt, omnia quæ homines magnificiunt, & digna vt plus quàm mortem horribilia formidemus. I E S V S vietus amore nostri elegit quæ mundus odit : cur nos pro amore IESV non admittemus illa ? Quid dico , pro amore IESV ? pro amore nostro id deberemus facere. Qui amat animam & vitam suam, amet mori in vitâ. Cur, si amas vitam, non amabis potius æternam & beatam , quàm istam miseram & momentaneam? Quicumque amat sibi aliquid , illud vult quod præstantius est: quare qui amat vitam, debet amare non temporalem , sed æternam : qui amat bona, non debet

debet amare mundana , sed cælestia : ideò per ipsum rerum amorem cogi debemus , ut omnia mundi bona contemnamus : nemo est qui amet aliquid bonum , qui non malit illud perpetuum. Absurdum est & contrarium , quod experimur : nam per ipsum rerum , & vitæ amorem , iacturam magnam facimus eiusdem quod optamus . Dic mihi , ô miser mundi amator , qui æternæ vitæ obliuisceris , vtrum ista temporaria contemnas , an diligas ? Si contemnis , ideò debes facere ut meliora appetas : si diligis , tantò magis diligenda sunt maiora. Quomodo libet convincimur amare æterna : quæ tantò maiora consequemur , quantò magis hîc denudamur , vilipendimur , & affligimur pro Deo. Non tamen sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam : nam quod momentaneum est & leue , æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Commeatus æternitatis facillimè præparari potest , & diligenterissimè curari debet. Quicumque locum aut agrum , in quo diutiùs commoraturum putat , locupletissimè præparat ; & ubi paruo futurus est tempore , parum & contemptim curat : restat nobis æternitas in aliâ vitâ ; præparanda merita sunt , ne peruersâ prouisione impendamus breui tempori curam maximam , & maximo tempori curam breuem.

Verum

Verum non solum pro vita aeterna, sed pro temporali debemus temporalia odisse: inquietant nos, & angunt mille curis, ut consequamur; mille timoribus, ne amittamus: et grise ferimus quamlibet iacturam; quae cum frequentissime accidat, in continuis mero-ribus, iracundiis, & infinitis perturbationibus voluiimur. Solum qui contraria mundo voluerit, sine contrarietate & cum pace sancta viuet. Vnde igitur merentur nomen bonorum ista, quae nos affligunt, & nocent? Opposita potius sunt iudicanda bona: quae ci- tius bonos nos faciunt commemoratione conditionis nostrae, recordatione Dei, occa- sione merendi, & imitatione unigeniti Filii Dei. Verissime dilector hominum Iesvs ea dixit, non tantum bona, sed beatitudines. Philosophi quoque Gentium praestantissimi non iudicarunt bona quae mundus magnificaiebat, sed contraria. Aliqui oderunt & recu- sarunt omnia bona temporalia, ut saltem in hac vita temporalem beatitudinem con- querentur, sepositis curis & timoribus, & omni animi perturbatione. Pudor noster est, quod sine exemplo Filii Dei illa praestiterint Ethnici, & sine spe aliorum bonorum, & cum mundus adolescentior & speciosior erat, & locupletior bonis suis, licet fucatis. Nos autem habemus gloriam imitandi Ie-

SVM,

sVm, & mercedem in cælo : mundus præter-
eà nunc deterior & deformior est , qui non
solummodò caret solidis bonis , sed etiam
caducis : vix iam habet vt fallat : splendor
eius fucatus iam deest ; vt nos decipere non
possit, nisi nos metipsi decipiamus.

C A P V T XII.

De excellentiâ eius qui est in gratiâ.

Quid de mundo quæris , si es supra mun-
dum ? quid de terrâ amas , si amaris à
Deo ? Quomodo in naturâ hæret, qui ascen-
dit ad gratiam ? O bonum numquam intel-
lectum , & passim neglectum ! maxima &
pretiosa nobis promissa donauit Deus , vt per
hæc efficiamur diuinæ confortes naturæ.
Quid quærit præter Deum, qui inuenit gra-
tiā Dei , quæ hominem attollit super om-
nem naturam , etiam altissimorum Throno-
rum, Cherubim & Seraphim , si horum sub-
stantia per se , licet eminentissima super om-
nem aliam creatam , spectetur ; & Deum fa-
cit patrem nostrum , amicum & locum inse-
parabilem. Præcedere alium loco aut gradu
aliquo inter homines magni fit : quale erit
omnes naturæ gradus excedere ? Quamuis
mundus pretiosissimus esset , & res humanæ
æstimabiles, deberent contemni ab eo qui est
in

in gratiâ. Dæmon superbissimus est ; non tam
en-
on
m
or
on

n-
s à
en-
el-
&
per
ræ.
ra-
m-
no-
ub-
m-
fa-
se-
adu-
erit
uis
næ
.est
in
in gratiâ. Dæmon superbissimus est ; non tam
amen æstimat opinionem hominum , nec a-
mittere aliquid putat , licet maledicatur:
non captat applausus humanos , non æsti-
mat res materiales, deditur gustus homi-
num , ridet res nostras , hoc solum quod al-
tioris sit naturæ: quomodo qui electus est ad
confortium naturæ Dei , qui in supremo re-
rum gradu positus est , sollicitatur pro rebus
vilibus ? Planè si homo intelligeret celsitudi-
nem , ad quam peruenit , postquam bene
confessus est, & accepit gratiam; non erat ne-
cessè aliud , vt vniuersa penitus despiceret &
rideret : neque vt ad contemptum mundi in-
duceretur , opus erat virtute magnâ ; sed vel
vitio id faceret , nisi impossibile esset , quod
gratia esset causa culpæ. Mali spiritus sine vl-
lâ virtute non magnificiunt has res materia-
les , quia ipsi sunt in superiore naturâ : quid
debet facere cum virtute , qui statuitur super
omnem naturam ? Rex supremus purpurâ
indutus , non magni faceret ligonem neque
falcem ; quam è viâ , si inuenisset ante pedes,
non tolleret , quia excellentioris dignitatis est
quam rusticus : cur homo , si semel ad gra-
tiam Dei venit , deiicitur pro rebus terrenis,
cum eius dignitas supra cælos sit?

O quanta excellentia gratiæ ! latet sœpè in
vestitu humili , in corpore debili , languente,

E &

& horrido interdum. Vide quantum distat
natura altissima Seraphim à naturâ fœdissi-
mâ vermiculi; plus excedit vile mancipium,
& fœdus leprosus, si in gratiâ sit, naturam
sublimioris Angeli. Si Deus crearet aliquam
naturam selectam, quâ reliquæ omnes infe-
riores essent, plantæ, animalia, homines, &
Angeli; ut eam agnoscerent mentes illæ subli-
mes mundi, Principatus, Dominationes, Se-
raphim, suâ naturâ superiorem, veluti peco-
ra campi agnouerunt Adam; quâm sublimis
putaretur? An decorum esset, si inter brûta
se misceret, & animalium mores imitaretur?
O homo, ad altiorem statum eleuaris dum
gratiam retines, superas omnem naturam,
non solum creatam, sed quæ creari potest.
Quantum mirareris, si vermiculum, quem
videras in cane mortuo, vidisses factum su-
prenum spiritum, & æqualis naturæ cum
Seraphim? cur non miraris euæctionem tuam
majorem à peccato ad diuinum statum? An
ne vermiculus factus spiritus, appeteret ca-
dauera fœtida? cur tu amas caduca, mirabili
modo & priuilegio Deus factus, & filius Ex-
celsi Dei non facti, qui te fecit hominem, &
refecit diuinum? Licet non videoas dignita-
tem tuam, debes credere, & certiore quâm
oculoruin cognitione magnum quid de te æ-
stimare. Si omnis naturarum existentium &
possibilium

possibilium perfectio, excellentia, pulchritudo, in vnâ naturâ conglomeraretur, nihil es-
set hæc præstantia præ minimâ particulâ gratiæ , præbentis animæ excellentiam super
omnem excellentiam, & pulchritudinem su-
per omnem pulchritudinem naturæ. Nulla
est comparatio Dei ad omnem perfec-
tionem naturalem : sic ille qui est in gratiâ, ex-
cedit omne bonum rerum ; nam est in diui-
no gradu.

Finge , cùm nihil eras , & Deus te creare
voluit , te interrogasse in quem gradum re-
rum creari velles , an solum esse elementum
purum, an rupem, an metallum, an lignum,
an brutum , an hominem , an Angelum , an
vnum ex Seraphinis ? nonne hoc putares
magnum beneficium ? ánne eligeres esse in-
sensibilem creaturam , aut potius malles ad-
scribi inter intellectuales ? an fortè auderes
sperare & præsumere censeri in eodem ordi-
ne diuino cum Deo superiorem omnibus
dictis naturis ? ecce quomodo quod nec in
mentem tuam auderet venire, Deus tibi con-
cedit. Non te deiecit inter animata , non in-
ter insensibilia , non inter irrationalia ; sed
sublimauit non solùm ad gradum rationis &
immateriale , sed ad quemdam diuinum.
Plus debet Deo vñus solus homo pro minu-
tissimo gradu gratiæ , quàm vniuersæ creatu-

E 2 ræ,

ræ , à Seraphinis vsque ad arenas maris , pro creatione naturarum omnium . Plus debes Deo , quia per gratiam communicauit tibi suam naturam , quām si sub tuam potestatem omnem creatam naturam subdidisset , omnes Angelos cæli vsque ad pecora campi .

Omnis res per suas classes distributæ sunt : inferiores non attingunt eas quæ superioris sunt ordinis : res inanimatæ non possunt attingere perfectionem viuentium : res viuentes non perveniunt ad sensitiua : res sensu solùm præditæ non possunt percipere intellectualia , nec corporales res spiritualia . Oculus non potest cognoscere Angelum , quia sunt diuersi ordinis : sic natura non potest attingere Deum in se ; qui plus excedit omnem creatam substantiam , quām quod spirituale est omnem sensum . Nemo potest operari diuina , nisi in statu sit diuino : quare ut nosceremus in se & tractaremus Deum , necesse erat eleuari in gradu sublimiori super totam naturam , & constitui in diuinâ serie ; quod facit gratia , efferens hominem extra naturæ claustra , constituens illum in deifico statu & ordine , consortem eum faciens diuinæ naturæ , & Deum mirabili modo & priuilegio reddens . Per gratiam enim participat homo Deum secundūm gradum supremum diuinæ naturæ , in quantum excedit omnem naturam ;

turam; non solum quatenus est existens, vi-
uens, cognoscens, sed quatenus Deus est, &
super omnem existentiam, vitam, sensum, &
intellectum. Participat diuinam essentiam,
quatenus super essentiam est: participat diui-
nam substantiam, quatenus supersubstantia-
lis & superessentialis est: ideo homo in gra-
tiâ est super naturam, essentiam, substanc-
tiamque omnem. Si inter omnes animas &
spiritus Angelicos vni soli fieret tantus fauor,
vt ille vnu in mundo fuisset & nunc solus esset
in gratiâ, licet minori quam nunc habet infans
post Baptismum mortuus; stupendum mira-
culum haberetur, omnis creatura venerare-
tur illam. O anima, quomodo non te putas
venerabilem, si humiliter suspicaris in gratiâ
esse? Ne te sollicites pro rebus te inferioribus;
& sunt omnes te inferiores.

Nihilominus non est sola maior excellen-
tia gratiæ excellere omnem naturam, si spe-
ctemus quod faciat hominem filium Dei
charum. O qualem charitatem dedisti, Pater,
vt filij Dei nominemur & simus! Accipimus
spiritum adoptionis filiorum, vt iustificati
gratiâ Christi, coheredes IESV simus, & he-
redes tui. O quis posset intelligere quanta di-
gnitas sit fieri filium Dei! Magni aestimant
homines, esse coniuctos & famulos terreni
Regis: cur non aestimamus esse filios & here-

E 3 des

des Dei ? Gloriantur mortales de prosapiâ hominum mortuorum, de genere carnis morituræ, de naturâ suâ terrenâ: cur non gloriantur de gratiâ, de naturâ Dei, de filiatione diuinâ? Qui dicit sanguinem Regium etiam post multas generationes, in magno mundi honore habetur: quanti debet fieri cognatum esse Deo, & consortem eiusdem naturæ?

Plus afficitur pater erga filium, quia particeps suæ naturæ est, quâm erga illum qui similis coloris est, aut eodem modo loquitur, aut eamdem figuram habet: ita Deus dulcius afficitur erga illum qui habet gratiam, quia particeps suæ naturæ est, licet minimus & contemptibilis in mundo sit, quâm erga naturam Angelorum. Maior differentia est inter substantiam Cherubicam per se, & eum qui est in gratiâ, quâm inter illud quod est pictum & viuum: licet omnis creatura participet quodammodo Deum, incomparabilis differentia est. Per naturam participat, quemadmodum imago: cum pictor se pingit, participat pictorem in similitudine, colore, lineamentis, & superficie tenus, non in gradu vitæ & animæ rationalis. Sunt omnes naturæ rudes adumbrationes aliquius perfectionis diuinæ, sed sine parte diuini spiritus. Solum, qui est in gratiâ, est imago viua Dei cum spiritu suo, & velut filius & imago

imago sui Patris per consortium & communicationem naturæ. Quantum distat tabula & lignum, quæ repræsentat aliquem Regem, à dilecto filio ipsius Regis? plus distat, qui est in gratiâ, ab excellentiori essentiâ & perfectione naturali supremi Archangeli: omnis enim substantia & natura mortuo modo repræsentat Deum; vt lignum, aut tabula, aut saxum aliquem Imperatorem. Inter eos in quibus est participatio naturæ, non tam dicitur similitudo, quâm idemtitas: ideo qui est in gratiâ, dicitur etiam idem cum Deo à sanctis Patribus: & vt pater & filius in humanis eadem persona censemur. Ipse Filius naturalis Dei dicit: *Omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Quamvis enim omnis iustus, præter Iustum Iustorum IESVM, solùm fiat filius Dei per adoptionem: maior est vno & vnitas inter illum & Deum, quâm inter alios patres & filios naturales. Filii hominum solùm habent particulam exiguum materiæ vñilis & carnis paternæ: at qui est in gradu gratiæ, integrum spiritum diuinum in se habet. Excellentior filiationis modus est filiatio Dei adoptiuâ, quâm naturalis hominum.

O homo, gaude de tuâ dignitate, & ne degeneres à conditione diuinâ: cura honorem Dei: follicita causam eius, si non quia

E 4 Deus

Deus tuus est, saltem quia Pater tuus, quia omnia sua erunt tua. Filii quia sperant hereditare substantias patrum, eorum negotia agunt: tu heres Dei es, ne putes te alienum. Licet Deus non creauisset nos; ex eo quod accepit in filios, deberemus cordialem amorem erga illum habere, & omnem curam in rebus diuinis adhibere. O Pater amantissime, quomodo non aestimo esse tuæ familiæ, & specialissimè mihi prouidere? Feræ pro catulis exponunt se periculo vitæ: quid facies tu, qui etiam eos, qui contemptimus Filium tuum naturalem, adeò dilexisti, ut acciperes in filios? Quantam fiduciam potest habere anima in hac filiatione? Licet Deus nihil prouideret, attentissimam curam & dulcem sibi sollicitudinem haberet erga illum qui est in gratiâ. Quantoperè mater vidua sollicitat filium vnicum desideratum? maior & tenuior affectus Dei & attentio est in iustos.

Accedit quod per gratiam amici Dei famus. Ipse IESVS dulci supra mel voce inquit: *Vos amici mei estis.* Per gratiam enim est inter hominem & Deum dignitas quædam non disparis ordinis, in diuinam classem eleuando mortalem, ut immortalis Regis sit amicus. Licet filii Dei non efficeremur; ex hoc solùm quod gratia reddat nos amatos illi, inæstimabilis excellentia est. Amicitia præfertur

præfertur cognitioni, & fidelior quàm náatura ipsa habetur: consanguinei sæpe negliguntur, aut odio habentur; amici semper diliguntur: plus faciunt homines pro amicis quàm pro fratribus: qualis erit amicitia diuina? Duo maximi tituli sunt, cognatio & amor: vterque in gratiâ inuenitur. Amari à Deo, est locuples vena auri cælestis, & diuinorum bonorum: amor Dei non socors & ignauus est, sed efficacissimus & diligens. Amare est, velle alicui bonum: in Deo idem est velle & facere; quare quem amat, diuitiis cæli implet. Amari à Deo, perpetuum est stillicidium, imò flumen donorum. Si pro inimicis dedit vitam, quid pro amicis faciet? Nihil in Deo est inordinatum: quare si pro aduersariis talia facit, pro dilectis incredibilia aget; maximâ attentione & summâ fidelitate prouidebit illis. Si tantam curam habet inimicorum nostrorum, vt iubeat diligi; quantam sollicitudinem habebit suorum amicorum? Adeò nos dilexit cùm inimici eramus, vt videretur nos diligere plus quàm se: ánne cùm nos amicos dicit, & habet, diligit minus quàm inimicos?

Gauderes habere amicum tantæ fidelitatis, ac Dauidis & Ionathæ: sed res ridicula est, & tamquam perfidia omnis humana fides, respectu eius quam Deus habet erga te. Re-

E 5 spici

spici à Rege terreno, pro fauore habetur: qualis erit, amari à Deo & zelari? Vis noscere, ô anima, amicitiam & fidelitatem Dei? tanto-perè amat suos amicos, vt nesciat separari ab illis. Si in cælo solum esset Deus, statim veniret, & non seiungeret se ab eo qui habet gratiam; sed mansionem apud eum faceret, vt societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius IESV CHRISTO per Spiritum sanctum, qui diffusus est in cordibus nostris. Cerui, oves, agni & columbae gregales sunt, iis iunguntur, & amant, in quibus agnoscunt suum genus. Deus socialis est, Filius Dei agnus est, Spiritus diuinus cicur & affabilis est, amat eos qui diuini fiunt, obtinentes consortium suæ naturæ quasi gregales Deo facti. Si sacratissima humanitas Christi adeò fauisset alicui, vt ab eo numquam vellet separari, quid diceremus de tam eximio priuilegio? cur non admiramur quod diuinitas non discedat, quod indiuiduus socius iusti Deus fit? Nec tantū contubernialis illius habitat cū eo, sed in eo, in quo iucundiū quā in Sole ponit tabernaculū suū.

Quis pater ita diligit filium, vt nolit separari ab eo, & semper ambulet cum eo? quin potius pædagogo committit, vt illi assistat: at Deus Pater & amicus noster nobiscum semper vult incedere. Quæ mater ita diligit filium, vt semper in vlnis suis ferens amplectatur

Etatur tenerimè? Deus hoc facit. Gratia est nodus Dei & hominis, est dulcis amplexus diuini Spiritus & humani. Inter mortales pater potest non esse ubi adest filius: at Deus nescit absesse ab eo, qui est in gratiâ. Licet sit Deus in creaturis essentiâ suâ, præsentia, & potentia; hoc fit quia Deus aliter esse non potest; non ex dignitate & meritis creaturarum, sed ex immensitate & infinitate Dei. At gratia hanc vim habet, non natura, ut si aliqui Deus absens esset, & non fuisset immensus, illum præsentem faceret, & ad hominem existentem in gratiâ veniret, mansio- nem apud eum faciens, factus unus Spiritus cum illo: & licet posset obliuisci rerum, præsentem semper haberet dulci memoriâ, & prospiceret habenti gratiam: & quamuis posset relinquere creature, & non operari, sustentare, & tueri illas, in iusto semper aliquid boni operaretur: sicut enim amor acris est, non vult bonum quin efficiat.

Quantus fauor & dignitas est, Deum semper comitem habere? Certè obstupeceremus, si aliqua creatura esset tam amata Deo, & excellens, ut iuberet omnes spiritus cælestes, millia millium quæ assistunt sibi, comitari illam; ut quocumq; abiisset, cum illâ esset tota ista pompa & maiestas: quid erit hoc præsocietate & comitatu Dei, nisi solitudo? Quid omnia

omnia ante te, Domine, nisi tamquam nihilum? Si illam creaturam miraremur; quomodo non admiramur animam in gratiâ, cùm Deum pro comitatu habeat, non lateri adhærentem, sed in essentiâ suâ velut animantem illam? O fortunatissimam dignitatem hominis, & dignationem Dei, quòd Summa illa Maiestas comitetur semper puerulos homines! nam minimè otiosus & inutilis animæ socius Deus erit, vt non prouideat illi. Anne torpens aut cæcus assistet, vt non videat necessitates eius & miseras? Profectò non in vanum Deus se associat iustis. Possunt & se & sua negligere, si solùm curent quæ Dei sunt: Deus satagit illorum. O Pater mi, ô amice, ô sodalis, precor Maiestatem tuam, vt reuerentiam, fidelitatem, & affabilitatem erga te habeam: tecum me geram vt filius cum patre, zelans omnia tua, reputans eadem mea; vt filij boni curant res parentum, quia respiciunt vt propria. Precor, vt amicus fidelis sim tibi, in omni euentu honorem tuum quærens, partes tuas agens, & te amans plus quàm me. Da, vt bonam societatem tecum conseruem, ne continuis defectibus contristem Spiritum sanctum tuum.

At si gratia omnis in se tanta sit, vt nos cognatos & gratissimos & necessarios Deo, velutque Deos faciat, ex eo quòd detur per Chri-

Christum; felicior, venerabilior, & magis priuilegiaria est illa quā fruuntur homines, quā ea quā donati sunt Angeli, & Adam in primo innocentiae statu. Ij filij quos maioribus doloribus mater peperit, plus dilecti habentur: quid mirum, cūm gratia nostra tot doloribus steterit Christo, si iucundior sit; & amabilissimè propter eam maioribus priuilegiis fauerit Deus, plura auxilia tribuendo, diutiū nos sustinendo, magno efferendo honore, vt ipsi Angeli venerentur homines, quod habeant gratiam per Christum, & pertimescant iam naturam nostram conspicere prostratam coram se, quam ante incarnationem contempserant: quia specialis dignitas accedit gratiæ, quam nunc habemus; quia facti sumus membra viua Christi, & computamur idem cum illo. A capite in membra redundat veneratio: quomodo despiciunt Angeli naturam nostram, quam suspiciunt exaltatam supra suam usque ad thronum Divinitatis, & consortium Dei? Quid mirum, non tractent ut inferiores suos, quos Dei Filius primogenitus in multis fratribus æquitatis nomine super ipsos cælestes spiritus exaltauit, vocans homines fratres suos, pluris nos faciens quā Angelos? Nullum ex Seraphim & Cherubim ita honorauit, ut fratrem suum vocauerit. Hæc est maxima excellētia

tia gratiæ , vt honorabilior sit, & eleuetur super omnem naturam. Sed per gratiam Christi ipsa etiam natura nostra honorabilior fit, & sublimatur super omnem aliam naturam, quatenus ipse Dominus gloriæ communicat suam gloriam in membra sua coniuncta & viua cognatorum suorum. Fundata præterea nostra gratia in IESV meritis, & vnione eius, quasi maiori iustitiâ & modo perfectiori mereri nos facit de Deo. Quia sumus filij doloris , sumus & Benjamin Deo, & filij dexteræ suæ , ac dilectissimi. O Pater amantissime , qui tradidisti morti vnigenitum Filium tuum, vt ego viuerem factus filius tuus ; da mihi , vt magni habeam, & cognoscam hoc beneficium. Vnus Angelus pro minimo gratiæ gradu , quam accepit , plus debet tibi, quam cunctæ creaturæ simul pro omnibus bonis naturalibus , & creatione vniuersi. At ego homo miser plus debeo tibi pro minimâ gratiâ datâ mihi , quam omnes Hierarchiæ Angelorum pro vniuersâ gratiâ & donis supernaturalibus , quæ concessa sunt cunctis. Nam vt ego viuerem per gratiam vitam diuinam , voluisti Filium tuum pati mortem per naturam humanam. Plus fecisti pro me , quam pro omnibus Angelis. Plus me deuinxisti,quam obligasti Seraphim & Cherubim.

Duæ

Duæ sunt causæ, quibus homines tene-
mur seruare & magnificere gratiam. Vna est
inæstimabile pretium, & inexplicabilis excel-
lentia eius. Altera est pretiosissimus tuus San-
guis, ô IESV, quem fudisti, ut gratiam nobis
merereris. Si non credimus valori eius in se,
pretiosissimam putemus, cum tanto pretio
nobis illam comparaueris. Maxima & stu-
penda res est, quam Deus, qui falli non po-
test, maluit ut haberemus nos, quam seruare
vitam illam pretiosissimam sui Filij.

C A P V T X I I I .

*Quomodo pœnitentiae & afflictiones cor-
poris iuuent.*

SPinæ conseruant plantas in horto, & gra-
tiam asperitates in iusto. In quassato &
marcido corpore floret vis integra mentis. Ut
sanum corpus reddat medici, magis affligunt
illud amarissimis potionibus, inediâ, effusio-
ne sanguinis, adustionibus & maioribus tor-
mentis: non nimis à te petitur, ut molestes
quodam modo pro salute animæ. Qui lan-
guescit, inter angores euomet nocuas: sic & ani-
mæ vitia in vitâ iucundâ non purgantur,
cum nec corporis vitia sine molestiâ curen-
tur. Silex afflictus luces emittit: caro mace-
rata illuminat mentem. Illa anima bestia est,
quæ

quæ corpus suum non tractat ut bestiam.
Quemadmodum labores & calamitates im-
missæ à Domino, faciunt homines resipere &
meminisse Dei, magis erudiunt, incidunt
feruorem, augent Dei familiaritatem, ele-
vât cor: sic asperitates vtrò assumptæ, parem
fructum habent; faciunt, ut homo sæpius in
illis reminiscatur Dei, & diuinis illustrationi-
bus aptior fiat, vacuus gustu sensibili.

Idonea dispositio maioris gratiæ, fit affli-
ctio naturæ: hoc opus & labor gratiæ est, se-
iungere nos à temporalibus rebus, corporeis,
& visibilibus; quare dimidium factum inue-
nit in austерitate vitæ: quæ tamen etiam ex
gratiâ est, sine quâ nihil ex nobis est bonum,
nihil utile. Thronus & regnum gratiæ, &
gradus ad gloriam, est profunditas humilia-
tionis nostræ, cum afflictione corporis: &
exaltatio mentis, crucifixio carnis. Instruis te
quoque asperitatibus voluntariis ad necessa-
rias, ut ex disciplinâ patientiæ scias ferre
quæ Deus miserit: assuescis etiam & discis te
vincere, & debilitas aduersarium tuum præ-
cipuum, per quem ceteri te impugnant: im-
petras à Deo facilius, quæ exoptas. Licet suf-
ficiens titulus pœnitentiis nostris sit Christus
crucifixus: abundant præterea alij; & præci-
pue culpæ ipsæ nostræ innumeræ, & pœnæ
pro illis, ut satisfaciamus commissis, & com-
mittendas

mittendas minuamus. Sit anima carnifex carnis: ad hoc ex magna Dei indulgentia non est in inferno damnata. Nonnumquam contingit, ut ex duobus delinquentibus capite damnatis alter complex absoluatur, hac lege, ut in socium exequatur sententiam mortis, fungens in illum munere carnificis, cum alius deest. Complices peccatorum sunt anima & corpus: in istud anima sit ministra iustitiae diuinæ, & torqueat conuenienti supplicio, siquidem non est præcipitata ad inferos, cum primùm peccauit.

Nihil tibi transeat impunitum: te ipsum timeas, crudelis tibi, iustissimus & seuerissimus in omnes iniusticias & blandicias carnis; omnia punire oportet. Nulla est vrbs optimè gubernata sine curâ suppliciorum: nec conscientia ordinata erit sine tribunali & gladio, vbi tot sunt facinorosi affectus. Vindicta quam à te sumis, respondeat culpæ: caue ne à te Deus rationem petat contemptæ & corruptæ iustitiae. Vltionem à te sume, & quia reus culpæ, & quia iudex iniquus, cum tibi parcens toties te absoluisti. Suppicia in vribus fiunt, potius ut vitentur exemplo vnius aliorum scelera, quam ut minuantur damna-
ti culpæ & pœnæ: at cum in te animaduer-
tis, maior tibi fructus est; non aliena sed tua
ipsa peccata deinceps compesces, ne com-

F mittas,

mittas, & commissorum pœnas tibi minuas. Non est iustitia , sed indulgentia seueritas tua : vltio hominis , est venia Dei. In omnibus tamen memento laudis ex obedientiâ , & vtilitatis ex prudentiâ ; ne inconsulto , cum damno profectus tui , & minore gloriâ seruitij Dei & vtilitate aliorum, sumas asperitates: nam vbique fallacia est dæmonis. Cura tamen præcipue & semper supplicium voluntatis propriæ, magis quam corporis. At quo usque circumspectio omni proprio amore nuda , atque iudicium Superioris pro cuiusquam ætate, statu, viribus, inclinatione, occupatione, necessitate permiserit asperitates; sine misericordiâ, sine adulatione tui, in te sanguinendum est.

O Veritas misericors, quomodo mihi adulabor & mulcebo, si in mentem reuoco rigores & tormenta innocentissimi IESV, quæ pro peccatis meis tulit , & cruciatus animarum in Purgatorio ? Ingens priuilegium esset, si animæ in pœnis illis terribilibus existenti Deus concederet posse satisfacere ; vt hic possumus , assumptis voluntariis afflictionibus. Fruamur nunc hac indulgentiâ Dei. Debitor centum talentorum , si creditor indulgeret illi debitum , contentus hac lege, si intra aliquod tempus soluisset vnum solum, ânne recusaret pactum tanti lucri ? Quæ amentia

mentia nostra est , quod malimus soluere centum in alterâ vitâ , quâm vnum in istâ ? Sed quid opus erat remitti tremendas illas poenâs ? sufficit decus carnis in venturâ vitâ .

Recordare quâm gloria & pulchra sint futura corpora in resurrectione ; quibus venustas & splendor addetur , prout in hac vitâ afflîcta fuerunt : mundus ex quo compta erunt in æternitate , est afflictio sordida & temporalis in hoc mundo . Nonnulli ne deformes hominibus appareant per breue tempus dimidiæ suæ vitæ , passi sunt cædi & torqueri membra & ossa : minoris stat pulchritudo æterna ; non opus est scindi membra , sed non mulceri , & paululum affligi . Rectissimè hoc supputauit sanctus Iguatius noster Pater : qui cum nondum conuersus ad Deum omnino esset , os iussit secari , ne informis videretur , sine lacrymâ , sine gemitu , sine ostensione doloris & tormenti tolerans ; at post conuersionem , magis dignum censuit pro pulchritudine futurâ in resurrectione asperitates ferre , ieunia per integras hebdomadas , trinam flagellationem quotidie , genuflexiones prelixas , humicubationes , aspergum cilicum , & saccum , nudipedalia , horridam totius corporis amictu & gestu tractationem . Pudor sit nostræ tepiditatis , etiam

Ethnicorum barbarorū rigor sine spe quam nos habemus ; qui ciliciis ferreis sectum corpus cruentum ferebant , suspendebant se vincis , interim canentes laudes Deo suo : sub currus simulachrorum subdebant se , & proscindebantur in frusta : abstinebant plurimum iejunio dierum. Pudeat nos , quòd possit magis supersticio quàm Religio ; & furor , quàm Amor Dei.

C A P V I T X I V .

Quòd nimius amor carnis impedit spiritum.

SI caro , etiamsi nata nobiscum , & sanguis qui viuificat nos , tam infensus est nobis , ut impedit vitam spiritus ; caro cognata solum & consanguinitas ánne prodesse poterit ? Erubescat spiritus cognitionis nomine : quantò magis debet pudere cognatorum nimis amoris ? Si pudet carnem alterius carnis cognitionis , si progenitores atque consanguineos obscuros negat ; quantò magis spiritum oportet pudere totius carnis , & consanguinitatis & prosapiæ ? Carnem propriam , quam animat , abnegare debet anima : cur nimis amat alienam & exanimem , quæ aliis deseruit , & fortasse iam non nisi vermis pro stabulo & cibo seruit. Satis esset nobilitas gratiæ

gratiæ & coniunctionis cum Christo, vt naturæ obliuisceremur & erubesceremus, quin opus esset moneri ex vilitate & fœtore ipsius, & damnis consanguineorum.

O Veritas Dei, odiſſe cognatos iubes, vt tuus siam diſcipulus: quomodo, si nimis amem illos plusquam te, tuus spiritus siam, adhaerens tibi vnuſ spiritus tecum? Da mihi per sanguinem tuum, vt non amem sanguinem meum, niſi in sanguine tuo: impetrat à nobis ſanguis Christi, vt non diligamus niſium sanguinem hominum peccatorum. Christus per sanguinem ſuum voluit nos redimere, & consanguineus noster fieri: nouit enim damna ſanguinis nostri, & consanguineorum, vt repararet illa.

Iura carnis non tenetur obſeruare ſpiritus: fac ergo, ô anima, vt ſanguinis coniunctio amorem tuum non corrumpat. Iubet Deus temetipſum odiſſe, & carnem & ſanguinem tuum proprium: quomodo tibi amor vacat, vt diligas propinquum & consanguineum, & non propter Deum, & cum modo virtutis? æquè & cucurbitas consanguineas tibi amare poſſes, aut pulices, cùm tamen occidas. Æquè fratres tui ac vermes à carnalibus parentibus producti ſunt: cur vermes fœtidos horres ſtomacho inimico ſuper omnia, & cognatos diligis corde nimis amico ſuper

F 3 Deum?

Deum? Si causa amoris tui nimij, & vltra virtutis præscriptum, est, à parentibus iisdem generatos esse: plus habent ab illis vermes, quām germani: nam fratribus tuis non dederunt animām parentes tui, nec toti sunt ab illis producti. Hinc cognati & patres corpora dumtaxat propinquorum amant, & curant; bona autem animæ omnino contemnunt, ut quæ sit à Deo solùm, non ab illis. Imò corpus quoque non accepisti à parentibus, sed per illos à Deo. Quid? amásne cognatos immoderatè, quòd partes sint communium progenitorum? eādem oratione membrum illorum abscissum, quamvis cancro infectum, amare poteras. Si propter similitudinem amas, pari iure statuam aut alium quemlibet hominem debes amare.

Quid est originem ducere ab iisdem gentibus, nisi modicum fœtoris & putredinis ab eodem fonte fœtido habuisse? &, quod peius est, habuisse peccatum? Anne iure gloriari possent duo, quòd simul in eodem cœno caderent, & sordibus repleti essent? Puriores genuit pater tuus fœtidos vermes, quām te: nam illos sine peccato, te verò maculatum originali culpā; & non antè fuisti compos vitæ, quām reus mortis. Qui nimis gloriatur de carnis nobilitate, opprobrium naturæ communis nobilitat, & iactat. Quid aliud

aliud est inordinatus cognitorū amor , quām arrogantia de vilitate communi , cuius maxime pudere oporteret, & gratulatio de ignominia peccati ? Per carnem & sanguinem au- spicatur malitia naturæ , & fortunatur miseria nostra : inde discit caro malè mereri de spiritu. A principio vitæ inficitur per carnem anima peccato ; sic continuans deinde iniurias , causa est potissima peccatorum. Abne- gare oportet sanguinem & consanguinitatem nostram , ut liberemur à peccatis per crucem Christi , quam debemus tollere. Non tam difficultia nobis occurrit , vt multis pueris & adolescentibus , qui omnem carnem pro Christi cruce contempserunt. Ex Societate nostrâ sanctus Ioannes Goto , inter flebiles vultus patris sui , & riuos lacrymantis matris , atque dulces vtriusque amplexus , positus in loco martyrij medius , atque inter horrida patibula & crudelissimos carnifices , nullâ atrocitate perterrefactus , præelegit brachia crucis quām suorum : quorum amore & blanditiis heroicè refutatis , cucurrit ad destinatam sibi crucem ; ubi moriens obtinuit Regnum Dei , quod caro & sanguis non pos- sident.

CAPVT XV.

De iacturâ temporalium.

Non molestè fert spiritus iacturam temporalium, de quâ gratulari sibi debet. Quis ploraret sub magnâ mole oppressus, si amicus pondus subtraxisset? Quod auferet mors, melius est ut auferat Deus. Si nudus sufficis Deo & places, quid quereris compendio rerum & curarum gratum Deo fieri? Nudus etiam sufficiat tibi Deus, sine suis muneribus & arrhis temporalium. Non tua amat Deus, sed te; tu nec tam ames quæ sunt Dei, sed Deum. Nudus Christus ascendit in crucem, nudus de sepulchro exiuit; ibi vestimenta reliquit: qui & nudus expugnauit cælum, & intravit triumphans. Propter te nudum mortuus est nudus, nō propter fortunas & bona tua: ideo te quærit, non illa; & quia te quærit, perdit tibi illa, nudum te expectans in cælo. Te componit ad nuptias, dum disponit de tuis, & denudat te. Quid times pauperem fieri, si in corde integrum Regnum portare potes? Regnum Dei intra vos est.

O ridicula lacrymarum causa, quod aufrantur causæ peccatorum! O amentia, putare damna, quæ sunt remedia! Summa est impudentia aduersus Deum, dolere & deplora-

plorare periisse temporalia, quæ odiſſe debebas. Dolorem & lacrymas, quas pro iniuriis & iacturâ adulteri fundit femina, quantumvis obſcœna & impudēs eſſet, occultat ſponſo; gaudium etiam de præſentiâ adulteri celiat: tu coram Deo gaudeſ de bonorum proſperitate, quibus cum adulteras, luges de iacturâ: audeſ rogare Deum, vt ea non auferat, aut quod reddat. Quæ mulier in adulterio ipſo comperta virum rogaret, ne impe- diret voluptatem adulterij, cùm potius ve- niam deprecari oporteret? misericorditer pu- niret ſponsus, ſi tantummodò auferret adul- teræ illum cum quo fornicabatur: quomo- do tu tam impudens es, vt iniuriam reputes? Quæ tam inuercunda vxor maritum pre- caretur, Affer mihi illum Æthiopem, cum quo dormiam, qui plus quam tu mihi placet? & tu audeſ lenonem Deum facere cupiditatis tuæ, petendo temporalia? Cùm aliud à Deo præter Deum petis, ipsa oratione adulterium tuum maniſtas: perinde eſt ac ſi poſtules, Da mihi Domine, in quo te offendam. Sa- tis eſt à Deo fornicari, quin eum ſollicites, vt quibus fruendo te corrumpis, cumulet; & feruet opes, honores, ſapores, colores, & for- mas corporum.

Qui cancro corrumperetur, non irascere- tur chirurgo, ſi vellet infectam partem lania-

F 5 re,

re, sed vltro exhiberet membra abscindenda, cùm horrore & dolore: at si fortè sine operâ & sensu sui ex somno expurgiceret, abscissam partem inueniens, miraculum putaret, & Deo gratias ageret. Non tibi eueluntur artus, sed damna & tela cor tuum corruptientia: age Deo gratias, quòd sine patientiâ & sensu tui erecta sunt. Qui omnia relinquere debes, ne doleas si auferantur aliqua. Deberes dare hæc pauperibus, vt merearis: cur si Deus sustulit, non patienter tolerabis? Piè dixit Gerson:

*Quæ commodasti, si repetis, Pater;
Gratus libenter restituo, cape.
Vis per latrones, ense, vel ignibus
Auferre? linquo; gratius accipis
Si forte, quam si pauperibus darem.*

Si nihil habens habebis totum, quid fatigaris? O Veritas amabilis, inuerte cor meum peruersum, vt iam deinceps doleam habere aliquid nisi te Deus, & me exonerem ab omni mole terrenâ, & à me ipso primùm, qui grauior sarcina sum mihi: non me, Domine, habere volo, vt te habeam. Si Philosophi plures alacriter se priuarunt omnibus bonis propter se, quia vilia & impedimenta iudicarunt; quid facio, si propter te, priuari aliquis à te, non patienter feram?

O spiritus infirme, quid doles circumcidi pauca

pauca superflua , cùm tibi pauca sint necessaria ? Quid dico, pauca ? nihil mihi nisi Deus est necesse. Gratulor , gratulor ; Deus , qui non deficit, est qui mihi sufficit. Nesciebam, ô dulcis Veritas , quanta consolatio est nihil habere ; imò cognoscere luce clariùs, impossibile mihi esse, quamuis ego id conarer cunctis meis viribus , quidquam præter Deum posse habere , & esse meum , sed solius Dei. At quia omnia sunt Dei, & Deus est meus, omnia sunt mea : & tunc plus mea , quando non habeo ; quia tunc minùs me habent , & melius in Deo habeo , quàm in se haberem. Si fuisset verè humilis , nihil dolorem pro omni iacturâ rerum. Qui debet æstimare se nihil esse , quomodo potest æstimare alias res esse aliquid, quæ sunt viliores homine? Cùm quis moritur , omnia sibi moriuntur : sic qui se credit nihil , totum mundum putat nihil. Omnia mortua sunt mortuo , & omnia vilia humili.

C A P V T XVI.

De utilitate temptationum.

Quomodo vis coronari , si non certas? quomodo certabis , si non impugnaris & tentaris ? Absque hoste non est certamen, absque certamine non est victoria. Imò in-honestum

honestum & turpissimum foret, sine bello coronari, sine victoriâ triumphum agere, & usurpare palmam non meritam: ne igitur molestè feras tentatione vexari; nam ibi est officina meritorum, & causa tuæ humilitatis. Multos, vt humiles essent, permisit Deus labi in grauissima peccata: tecum magis misericorditer se habet, permittens solum quod tenteris. Resiste viriliter in causâ Dei: quamvis in ipso temptationis conflictu molestum sit pugnare, iucundior est victoria ex temptatione, quam voluptas ex peccato, ad quod temptatione inclinat. Noli comparare cum molestiâ temptationis dulcedinem peccati, sed confer illud cum gaudio ex victoriâ: non compares pugnam cum voluptate, sed victoriæ fructum cum usu vitij: experire aliquantò quid sit vincere temptationem, qui toties expertus es succumbere.

Cùm vincis, existima iterum te pugnatrum: cùm pugnas, reputa in illâ victoriâ penitus abolendum inimicum in perpetuum, & æternâ pace fruendum. Fortasse ita partim eueniet: nam diabolus confusus, & vinctus, non audebit iterum adoriri; & Deus aliquam quietem concedet, prout nouerit expedire tibi. Deus scit, quo tempore te liberare oporteat à temptatione, qui permisit illam pro bono tuo. Artifex non extrahit aurum de fornace,

nace, donec satis purgatum est: nondum sa-
tis emendatus & purificatus es, si non te libe-
rat hac molestia. In victoriâ memento pu-
gnæ, in pugnâ victoriæ. Gaudebis perpetuò
si vincas; pudebit, si vincaris: quare vilipendis
conscientiæ securam lætitiam & pudorem,
pro futilissimâ & momentaneâ oblectatio-
ne? Amittimus tempus in hac vitâ, dum non
patimur. Non recuses molestiam repugnan-
di, cùm molesta aliqua nequeas in hac vitâ
fugere. Quemcumque viuendi modum ele-
geris, in aliquo afluxeris: melius est afluxi pro
virtute. Triste aliquid & aduersum vbiique
est; sed felix tristitia, & facilis, in causâ æ-
ternæ felicitatis. Pro humanis rebus longiori
tempore, maiori labore, minori fructu pugna-
tur. Temporaliū laborum terminus, aliis la-
bor est; sæpiùs pœna æterna: sed hic leuis &
momentaneus labor æternum gloriæ pondus
operatur in te, cuius non sunt condignæ pa-
ssiones huius temporis. Ferto saltem non ægrè
hanc tribulationem, quam optare deberes
propter auaritiam gloriæ maioris, quæ crescit
rigata igne isto. Quin etsi nullum præmium
esset, sufficit quod conformareris Christo.
Magnâ necessitate teneris ad renitendum &
pugnandum: in conspectu Iudicis es; & cau-
sam diuini honoris defendis coram Angelis,
& Sanctis. Potius velis millies mori, quâm se-
mel

94 IO. EVSEBII NIEREMBERGII
mel vinci , & pudorem pati succumbendi.
Coram Sponso tuo , & testibus Hierarchiis
Spirituum beatorum , ac cœtibus Sancto-
rum , quomodo audebis adulterium com-
mittere?

Non potest esse quin in hac vitâ sæpius
turberis & tenteris ; quare attentus tibi sis , &
cautus : licet fortissimum castellum virtutum
in te ædificaueris ; expecta tentationem , quia
est fundatum in naturâ tuâ , cum imbecilli &
caducâ infirmitate carnis . Quid interest , si
fortissimi muri , & lapidea domus struatur , si
ruinosum fundamentum habeat , aut in are-
nâ solùm sit fundata , quò minus timeatur
de securitate eius ? Quid interest , quòd ar-
matus sis , si in loco es lubrico , aut veharis
vmbratico aut effreni & indomito equo ?
Benè potes muniri virtutibus ; sed in carne es ,
quæ periculosior est quàm equus præceps &
indocilis , & magis fluxa quàm arena , nisi
gratia Dei te adiuuet . Quare generalius &
præstantissimum remedium aduersus tenta-
tionem præseruatuum est , deponere natu-
ram , cum omnibus suis appetitibus , quoad
possis ; eradicare à te omne tuum velle , & fie-
ri simplicem , & purum omni voluntatis pro-
priæ sorde , sicut spiritum qui astat coram
Deo : vnusquisque enim tentatur à concu-
piscentiâ suâ . Quando nos quærimus , inue-
niemus

niemus temptationem. Qui se quærerit, inueniet se: & quid in te inuenies, qui miser es, nisi miseriam, turbationem, afflictionem?

C A P V T XVII.

*Quod oporteat timere Deum, & sperare
in illo.*

Vndeque laqueis insidiatur inimicus; vndeque pericula sunt in totâ vitâ: sed maius omnium periculum est securitas nostra; nam est omnia pericula. Quis potest esse securus in medio hostium, & vicino aut domestico inimico? quomodo tu securus potes esse, cùm tibi ipsi aduersarius sis, cùm caro tua hostis tibi sit, cùm totum mundum habeas contra te, & omnes dæmones te oderint? Si contra vnum hominem venirent decem, si contra aliquem Ducem veniret duplo maior exercitus, timeret, licet fortissimus esset: quomodo tu non formidas, cùm non minùs quàm mundus totus sit inimicus tuus, & contra te pugnet?

Debes etiam timere Deum, quia peccasti, & quia potes peccare. Quæ mulier in adulterio deprehensa, si maritus nullum verbum ei locutus fuisset de venia, posset non timerre? tu quoque time: nam euidenter scis peccasse, & tamen nullam euidentiam nec reuelatio-

lationem , de remissione habuisti , nec velis habere , quia plus potius proderit tibi humilis timor & sollicitudo , quām fauor ille cælestis . Nam velut hi qui timent , solent sitire ; sic sanctus timor Dei sitim & desiderium feruidius placendi , & plus seruieri Deo , excitabit . At si non peccasti , vel post peccatum certissimus essem de veniā aliquā reuelatione Dei , ne desinas timere : nonnulli post multa miracula facta , & sanctissimam vitam per multos annos in pœnitentiā & in eremo exactam , miserabiliter peccauerunt . Angelus in cælo , Adam in Paradiso , Iudas & Saul , qui præ aliis electi à Deo fuerunt , non fuerunt securi , sed miserè tandem perierunt . Heron , post vitam ad summum perfectam , & immodicæ virtutis , post labores , sudores , abstinentias , & mirabilia multa (nam non nisi post tres menses cibum herbarū silvestrium gustabat , contentus interim & saginatus sanctissimo Christi Corpore) grauiter tandem lapsus frequentabat tabernas , ebrietati deditus , & postmodum luxuriæ . Tu in valle peccatorum es ; nec te dices à Deo electum esse , nec est tibi conscientia tam sanctæ vitæ , sed experientia peccatorum : quomodo non tibi formidas ? quomodo non times Deum ? Angeli & Seraphim contremiscunt , cùm sint certi non posse damnari , nec peccare , quia vident

vident possibilem esse alicuius creaturem damnationem : cur tu non tremis, cum tua damnatio possibilis sit ?

Deus plurium Sanctorum casus permittit, ut discas omnia a Deo venire , nec in nostris meritis & diligentia posse sperare seu presumere , sed solo in Deo. De te, quamuis habeas merita sancti Ioannis Baptistae , non est quid confidas ; de Deo potes, quamuis habuisses scelera Antichristi : & quod plus offendis & laberis, non est cur desperes aut deiiciaris ; sed eò plus de Deo spera , cum minus te esse expertus es. Hæc est diuina spes, cum nihil homo de se credit : cum plus timebit Deum , eò plus in ipso sperabit. Rectè dixit S. Prosper :

Vnum profugium totum est Deus ipse timenti.
Quod quis etiam iustior est, & quod plus amat Deum , plus solet timere : nam nouit quantum meretur amari, & coli; ut deberet homo anxiè optare atque precari tormenta per totam æternitatem , ut gratias illi ageret pro bonitate suâ : quia tamen longè est, ob multos defectus, ab hoc feroce, valde timet; quia non facit, quod potest & debet : ob id tremit amittere Deum; quod eò plus ipsi molestum est, quod magis dignum amore cognoscit.

Nihilominus debet , in eo qui creavit ipsum, tam in paruis quam in magnis sperare.

G

Fidu-

Fiducia nostra in hoc plerumq; peccat, quòd
in maioribus rebus sperat in Deo , quasi in
minoribus nonnihil possimus nos. Æquè in
exiguis ac in maximis solùm de Deo sperare
oportet , quia in nullis bonis ex nobis possi-
mus aliquid. Alij deficiunt , quia moderata
ex Deo sperant, & non audent sperare maio-
ra; vel quia indignos his se putant, vel minus
excellenter de Deo, & meritis IESV cogitant.
Quid dubitas aut despones animum ad vir-
tutem & sanctitatem maximam , quasi tuis
viribus & meritis fuisses adepturus gratiam,
aut Deus inuidus vel auarus esset, vel pauper.
Dei brachium , non tuæ vires , te roborat ad
virtutem capessendam. Deus benevolus tibi
est, non inuidet bono tuo. Eius priuilegij sunt
diuinitatæ diuinæ, ut non esset opus, fuisset Deus
bonus & amator noster , quòd esset liberalis:
nihil amittit cum dat, nec minuit suas facul-
tates & censem : nihil defraudat de suis re-
bus, potius addit. Si thesauros similis con-
ditionis haberet aliquis homo , quantumvis
peccimus & miser, non negaret petita; & quòd
magis auarus, fieret liberalior, & iniuriam pu-
taret non peti magna. Quis tam malignus
est vt neget lucem, licet numquam anteà vi-
disset petentem ? quare ? quia nihil amittit
dando lumen , manendo etiam cum inte-
gro suo lumine. Cur non præsumemus simi-
lem

lem liberalitatem de Patre luminum , vnde omne datum optimum descendit ? Iniuria diuinitati fit , non sperando de Deo bono & Patre nostro, quod de homine pessimo, barbaro & ignoto, sperares. Ne dubites de petitione tuâ; maiora promisit Deus quâm petis. Ne diffidas de promissione suâ; incredibilia-
ra iam fecit , quâm sit quod promisit. Re-
gnum suum promisit ; sed pro te seruus est fa-
ctus : quòd viues cum illo promisit ; sed pro
te mortuus est : admirabilius est quòd Deus
sit mortuus & seruiat , quâm quòd homo vi-
uat & regnet. Iam habemus pignus, quod est
maiis. Quare interdum non tam confidis
purè de Deo , quâm tacitè præsumis de te,
cùm speras aliqua , si non sint magna , si non
sint omnia. Tam imbellis ex te es ad exi-
guia , quâm ad magna: at ex Deo æquè vali-
dus ad vtraque.

O Domine , quâm stulte agit , qui non de
te magna speret ! nam quod homini erit spes,
est tibi votum & desiderium. Si quis opta-
ret, anima mea , vt faceres aliquid , & à te
peteret sœpissimè , & offerret auxilium suum,
& propterea se exponeret ad discrimina cer-
ta vitæ ob ardorem sui desiderij : si tu de-
mum id velles facere , & ad id iam nihil re-
staret nisi vt ille adiuuaret , qui diu & tanto-
perè id exoptauerat , & negotiatus fuerat;

G 2 nón-

nónne cum magnâ certitudine gratiæ reci-
piendæ accederes ad illum, & postulares au-
xilium, præcipue si ipse pollicitus priùs fuis-
set? Hic Deus est, cui adulaberis importunis
petitionibus, & omnimodâ confidentiâ eius.
Ex parte suâ non est timendum, quin te ex-
audiat: quâ ratione quod vult peti, volet ne-
gare? Expecta exaudiri, Deus expectat cla-
mare. Solum time illum, quia de te num-
quam es secura, in hac vitâ seminatâ pericu-
lis. Quantumvis spiritualiter & sanctè quis
viuat, non caret infidiis: nam in eos qui sic
viuunt, fortius insurgit & ardet dæmon, quia
inæstimabilis est eorum vita: fur magis vult
gemmas aut vniones surripere, quâm furfu-
rem. Deus verò permittit hæc pericula ad
humilitatem nostram; quia cùm pretiosissi-
ma sit hæc vita, vult esse humillimam. Ut
semper ab eo pendeamus, permittit tot mo-
dis impugnari: vt si numquam securos nos
putemus, tutissimi simus; atque si num-
quam præsumamus, incolumes permanea-
mus sperando in eo. Sic ipsa pericula red-
dunt illam tutam: sic solum timendo
Deum, nihil est quòd timeas: & si times so-
lum Deum, melius sperabis omnia de il-
lo. Spes & timor Dei, admirabiles sunt so-
cij; optimè se adiuuant: quos numquam
tu deferere debes; maximè te iuuabunt, si

in

DE ADOR. IN SPIRITU ET VER. LIB. I. 101
in te se adiuuent: nam vnum sine altero & ti-
bi & sibi parum proficiet, sœpè nocebit.

C A P V T XVIII.

*Quod non possimus non pati aliquid.
Et de bono patientiae.*

Qui non potest fugere pati, debet quære-
re patientiam. Cur non armamur hac
potentissimâ virtute, cùm impossibile sit non
pati aliquid molestum in hoc sæculo, Deo ita
mirabiliter disponente. Qui sperat posse fu-
gere molestias huius vitæ, præsumit eludere
prudentiam diuinam: ita prouisum, ita de-
cretum est, propter bonum nostrum. Non
potest Deus falli in iis quæ statuit, nec fru-
strari in his quæ disponit. Nobiscum nasci-
tur causa patiënti, quia cum peccato sumus
nati; nec tolletur donec extra locum peccan-
di simus. Poterat Deus sine labore suo, & no-
stro, nos in cælo locare ex primo iactu, vt in-
quiunt, sine ambagibus huius miseræ vitæ:
poterat eâdem facilitate producere panem,
quâ producit spicam & triticum: sed vt la-
boraret & pateretur aliquid homo, voluit ne-
cessarium esse ex frumento fieri panem: vo-
luit ad gloriam præcedere labores, vt nos
plus honoraret & cumularet suâ liberalitate,
cùm velit debere illam. O magna Dei gratia,

G 3 quod

quòd debitor nostri esse velit! Qui censeri inter prædestinatos cupit, non recuset pati; quod est character electorum, si cum patientiâ sit. Verè dictum est, mirandum esse quòd sub pedibus damnandorum omnes lapides non mutentur in rosas, in solatium eorum quæ perpessuri sunt malorum. E contrario multò magis mirandum, quòd sub pedibus saluandorum non vertantur in spinas, atque à pedibus in capita eorum insilientes, pro peccatis illos puniant: adeò ineffabilia bona breuiissimo suo labore consequentur.

Quæ causa est, cùm copiosissima sit redemptio Christi, quòd abstulerit peccatum, & noluerit tollere molesta, quæ ex peccato nascuntur in hac vitâ, nisi quòd salutares sint ærumnæ? Quomodo aspiraremus ad vitam æternam, si hæc vita iucunda esset, & sine labore ullo, cùm modò amemus illam, licet sit tam plena miseriis, & non dignè desideramus beatitudinem alterius? Rectè dicebat eleuatus & benedictus Pater Balthasar Aluarrez, tribulationes esse pegasos, ut propereamus in cælum. Quantò magis sensibus negantur suæ iucunditates tribulatione, dolore, morbo, eò cogimur ad Deum configere, & querere vera bona in cælis. Cacumen arborum, si præcidantur surculi inferiores, eò surgit sublimius: oppressis & afflictis sensibus,

mens

mens attolitur & viget. Post peccatum Adami excogitatum est à Deo mirabile ærumnarum inuentum , & diuinum consilium contra peccata. Inuentio digna Deo fuit labor & tribulatio , ut in ipso corpore quasi extra corpus simus ; & sic plus sapiamus , non affectâ mente sensui & oblectationi carnis , ut patiendo non inficiatur passionibus suis & cupiditatibus. Est artificium diuinum ad splendum commoditatem & prærogatiuam mortis , ne afficiamur his rebus fluxis & sensibilibus. Commendata à Philosophis patientia fuit , quia pati putabatur malum , quod illa mitificat : at quia pati optimum est , ideo patientiam dico bonam ; quia non refutit , sed permanere facit in eo quod est bonum.

Deus non est ignorans aut amens , (absit hæc blasphemia) sed summa Sapientia est ; dilectissimo tamen Filio suo Vnigenito elegit labores , elegit matri ipsius , elegit sociis Filij sui Apostolis , & amicis suis . Dicebat feruidus & deuotissimus Pater Christophorus Rodericus , in suis ærumnis & doloribus nolle compatiendum , sed gratulandum sibi fore , & simul secum gratificandum Deo : nam velut amici amicorum stringunt & premunt dextras , vsquequò doleant in amicitiae indicium ; sic Deus manu suâ amicos suos pre-

G 4 mit

mit & vrget , quod est amoris signum. Maius s̄ep̄ argumentum benevolentiae sunt supplicia quam beneficia siue dona, quoniam ipsa supplicia iam sint maiora beneficia. Maius argumentum charitatis est correptio & punitio, quam indulgentia & largitio. In extraneos facilius inuenietur benefactor, quam correptor & reprehensor: at animaduersio solū erga charos & domesticos fit. Indulgentia & liberalitas etiam ad inimicos se extendit, castigatio ad filios & familiares dumtaxat : quare certiora pignora amoris sunt supplicia huius vitæ , quam beneficia fortunæ.

Non semper in poenam culparum solū tribulationes sunt: licet non esset culpa, sunt bona; & patienter fert, siue à Deo immediate, siue ab hominibus affligaris: & eò plus gaude , quod sine minori causâ molestaris. Quemadmodum debemus gaudere magis, si tribularemur à Deo , non propter peccata nostra: sic magis patientes & gaudentes debemus esse , cum ab hominibus opprimimur & affligimur conuitiis & iniuriis, si causam nullam habent nos persequendi , sed innocentes patimur. Quam crucem eligeres, aut cum quo malles mori, cum latronibus, an cum Christo in suâ cruce ? Latronum cruces merita sua habuerunt, propter peccata sua afflitti

flicti sunt: at crux Christi innocentiae fuit; non propter peccata, absit: itaque tibi glorandum nisi in cruce Domini nostri IESU CHRISTI. Natura nostra cecidit, & in casu rectitudinem suam perdidit: oportet ut reparetur, restituatur, dirigaturq; duris istis rebus & grauibus. Malleus durus est & grauis, sed format vasa argentea, speciosa quæ reddit, ac dirigit quæ obliqua & obtusa erant.

Quædam diuina auctoritas tribulationi inest, vt efficaciùs sàpè per illam spiret Spiritus sanctus quàm per Prophetas, & sacras Scripturas: interdum verbis sacris non raro resistimus, & monitionibus sanctorū Patrum & Doctorum; at tribulationes nescio quomodo plausum concilient Deo loquenti, vt statim cedamus & pareamus. Qui audiri vult percussione alicuius rei, sono manu edito silentium & auditorium sibi cōciliat: sic Deus manu suâ percutiens, nos reddit sibi attentos. Resistit Pharao Deo, loquenti in seruo suo Moysē, cedebat & parebat affligenți in animali quousque minimo. Ieremiæ non obtemporabat populus, donec in captiuitate resipuit. Nemo surdus est nec durus tribulatio- ni: Dei eloquentia est, & cathedra Spiritus sancti: res sacra est & velut ara & thronus Dei, licet terribile sit tribulari. O quàm tremendus & terribilis est locus iste! sed verè

G 5 non

non est h̄ic aliud nisi domus Dei, & porta cæli, virtutum asylum, quō fugimus à vitiis, tamquam in sacrum locum.

Age, anima dilecta Christi, ne fugias tribulationem ut venenum: non potest nocere tibi; iam gustauit illam IESVS tuus: nihil mali habet, imò nihil acerbi, ubi Deus est qui condiet illam: quomodo amaror guttæ fellis sentiri posset in pelago mellis? Hac consolatione numquam carebo, quidquid mihi Deus largiri, aut de me facere velit, placitum illi esse. Hoc solatium æternum habe: et si adhuc sine consolatione patiaris, non refugias. Pudeat nos minus amare Deum, quam canes dominos suos. Quamuis canis fugetur, obiurgetur, cædatur, lapidetur à domino; non potest repellri, sed magis accedit, sequitur illum, & blanditur: ita debemus seruire, & accedere magis ad Deum, quō magis cædimur & tribulamur; quia si labores deficerent, præcipua occasio merendi deesset, nec congruum possemus exhibere testimonium quod dili-gamus Deum, & quod non propter mercedem solum colamus.

IOAN-